# S. EUSEBII HIERONYMI, STRIDONENSIS PRESBYTERI, INTERPRETATIO CHRONICAE EUSEBII PAMPHILI CUI SUBJECTA SUNT CONTINENTER FRAGMENTA QUAE EXSTANT OPERIS GRAECI. **(C)**

## Hieronymi Praefatio. **(C)**

EUSEBIUS HIERONYMUS VINCENTIO ET GALLIENO SUIS SALUTEM.

Vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causa Graecos libros Latino sermone absolverent, et quod plus in se difficultatis habet, poemata illustrium virorum, addita metri necessitate, transferrent. Unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est: et cum Aratum jam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit. In quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae scabris quibusdam et turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretata nesciunt, a Cicerone dicta non credant. Difficile est enim, alienas lineas insequentem non alicubi excidere; arduum, ut quae in aliena lingua bene dicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quod id efferam; et dum quaero implere sententiam, longo ambitu vix brevia spatia consumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum; ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, vernaculum linguae genus. Si ad verbum interpretor, absurde

resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse. Itaque, mi Vincenti charissime, et tu Galliene, pars animae meae, obsecro, ut quicquid hoc tumultuarii operis est, amicorum, non judicum animo relegatis: praesertim cum et notario, ut scitis, volocissime dictaverim, et difficultatem rei etiam divinorum voluminum instrumenta testentur, quae a LXX Interpretibus edita, non eumdem saporem in Graeco sermone custodiunt. Quamobrem Aquila et Symmachus et Theodotion incitati, diversum pene opus in eodem opere prodiderunt: alio nitente verbum de verbo exprimere, alio sensum potius sequi, tertio non multum a veteribus discrepante. Quinta autem et sexta et septima editio, licet quibus censeantur auctoribus, ignoretur: tamen ita probabilem sui diversitatem tenent, ut auctoritatem sine nominibus meruerint. Inde adeo venit, ut sacrae litterae minus comptae, et dure sonantes videantur, quod diserti homines interpretatas eas de Hebraeo nescientes, dum superficiem, non medullam inspiciunt, ante quasi vestem orationis sordidam perhorrescant, quam pulchrum intrinsecus rerum corpus inveniant. Denique quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, et Graeci Pindari, nunc iambo currit, nunc alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid Deuteronomii et Isaiae Cantico pulchrius? quid Salomone gravius? quid perfectius Job? Quae omnia hexametris et pentametris versibus, ut Josephus et Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt. Haec cum Graeca legimus, aliud quiddam sonant; cum Latine, penitus non cohaerent. Quod si cui non videtur linguae gratiam interpretatione mutari, Homerum ad verbum exponat Latinum. Plus aliquid dicam, eumdem in sua lingua prosae verbis interpretetur, videbit ordinem ridiculum et poetam

eloquentissimum vix loquentem. Quorsum ista? Videlicet ut non vobis mirum videatur, si alicubi offendimus, si tarda oratio aut consonantibus asperatur, aut vocalibus hiulca vel divisa sit, aut rerum ipsarum brevitate constringitur, cum eruditissimi homines in eodem opere sudaverint: et ad communem difficultatem, quam in omni interpretatione causati sumus, hoc nobis proprium accedat, quod historia multiplex est, habens barbara nomina, res incognitas Latinis, numeros inexplicabiles, virgulas rebus pariter ac numeris intertextas, ut pene difficilius sit legendi ordinem discere, quam ad lectionis notitiam pervenire. Ut autem manifesto cognoscatur indicio, ad quem numerum historia quaeque pertineat, has distinctiones positas lector advertat, ut si ad primum numerum regni primitus annotati historia referenda est, primam litteram in explanatione historiae contempletur: et siquidem eam ex minio viderit, illi tempori applicandam, vel anno sciat, quem suggesserit numerus similiter eodem minio figuratus. Si vero numerum non puro, sed mixto nigro notatum esse perviderit, secundae lineae numero debetur historia. Si autem tertio numerorum ordini applicandum est, quod fuerit ascriptum, medium puro minio numerum, et partem reliquam ex solo nigro expressam conspicabitur. Quarta numeri linea nihil habebit ex minio, sed indicio erit, quod sibi historia debeatur, cum minio facta littera in principio enodationis historiae, quae etiam superioribus signis subdenda est, nihilominus apparebit, nullo superius memoratorum signorum in numeris respondere. Sin vero non minio, sed mixtim [*Al.* mixtum] nigro rubroque littera fuerit expressa, refulgens ex rubro numerus in quintam numerorum lineam poterit adverti. Et ita sexta linea numeri et secunda, septima ut tertia designabitur, octava quoque ut quarta

apparenti littera bicolori. Cum vero nec in numeris, nec in explanatione historiae ullum illorum, quae praediximus, signorum fuerit, nona linea quod annotatum fuerit, vendicabit. Non tamen omnia hujusmodi requirenda sunt necessario, cum minor est numerus linearum. Unde praemonendum puto, ut prout quaeque scripta sunt, etiam colorum diversitates serventur, ne quis irrationabili aestimet voluptate oculis tantum rem esse quaesitam, et dum scribendi taedium fugit, labyrinthum erroris intexat. Id enim elucubratum est, ut regnorum tramites, qui per vicinitatem nimiam pene mixti erant, distinctione minii separarentur, et eumdem coloris locum quem prior membrana signaverat, etiam posterior servaret. Nec ignoro multos fore, qui solita libidine detrahendi omnibus, quod vitare non potest, nisi qui omnino nil scribit, huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas eventilabunt. Et quod accidere plerumque solet, negligentiam librariorum ad auctores referent. Quos cum possem meo jure repercutere, ut si displicet, non legant: malo breviter placatos dimittere, ut et Graecorum fidem, suo auctori assignent, et quae nova inseruimus , de aliis probatissimis viris libata cognoscant. Sciendum etenim est, me et interpretis et scriptoris ex parte officio usum, quia et Graeca fidelissime expressi, et nonnulla quae mihi intermissa videbantur, adjeci in Romana maxime historia, quam Eusebius, hujus conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam ut Graece scribens, parum suis necessariam perstrinxisse, mihi videtur. Itaque a Nino et Abraham usque ad Trojae captivitatem pura Graeca translatio est. A Troja usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quae de Tranquillo, et caeteris illustribus Historicis

curiosissime excerpsimus. A Constantini autem supradicto anno usque ad consulatum Augustorum Valentis VI et Valentiniani iterum, totum meum est. Quo fine contentus, reliquum tempus Gratiani et Theodosii latioris historiae stylo reservavi; non quo de viventibus timuerim libera et vere scribere: timor enim Dei hominum timorem expellit; sed quoniam, debacchantibus adhuc in terra nostra Barbaris, incerta sunt omnia .

# OBTESTATIO EUSEBII. **(C)**

ΟΡΚΙΖΩ ΣΕ ΤΟΝ ΜΕΤΓΑΡΑΨΟΜΕΝΟΝ ΤΟ ΒΙΒΛΙΟΝ ΤΟΥΤΟ ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΤΗΣ ΕΝΔΟΞΟΥ ΠΑΡΟΥΣΙΑΣ ΑΥΤΟΥ, ΗΣ ΕΡΧΕΤΑΙ ΧΡΙΝΑΙ ΖΩΝΤΑΣ ΚΑΙ ΝΕΚΡΟΥΣ, ΙΝΑ ΑΝΤΙΒΑΛΗΣ Ο ΜΕΤΕΓΡΑΨΩ, ΚΑΙ ΚΑΤΟΡΘΩΣΗΣ ΑΥΤΟ ΠΡΟΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΤΟΥΤΟ, ΟΘΕΝ ΜΕΤΕΓΡΑΨΩ, ΕΠΙΜΕΛΩΣ. ΚΑΙ ΤΟΝ ΟΡΚΟΝ ΤΟΥΤΟΝ ΟΜΟΙΩΣ ΜΕΤΑΓΡΑΨΗΣ, ΚΑΙ ΘΗΣΗΣ ΕΝ ΤΩ ΑΝΤΙΓΡΑΦΩ.

# EADEM DIVI HIERONYMI. **(C)**

ADJURO TE, QUICUMQUE HOS DESCRIPSERIS LIBROS, PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, ET GLORIOSUM EJUS ADVENTUM, IN

QUO VENIET JUDICARE VIVOS ET MORTUOS, UT CONFERAS QUOD SCRIPSERIS, ET EMENDES AD EXEMPLARIA EA, DE QUIBUS SCRIPSERIS, DILIGENTER: ET HOC ADJURATIONIS GENUS TRANSCRIBAS, ET TRANSFERAS IN EUM CODICEM, QUEM DESCRIPSERIS.

## Eusebii Praefatio.

Mosen gentis Hebraeae, qui primus omnium prophetarum ante adventum Domini Salvatoris divin as leges sacris litteris explicavit, Inachi fuisse temporibus, eruditissimi viri tradiderunt: ex nostris, Clemens, et Africanus, et Tatianus; ex Judaeis, Josephus, et Justus, veteris historiae monimenta replicantes. Porro Inachus quingentis annis Trojanum bellum antecedit. Ex ethnicis vero, impius ille Porphyrius in quarto sui operis libro, quod adversum nos casso labore contexuit, post Mosen Semiramim fuisse affirmat, quae apud Assyrios CL ante Inachum regnavit annis. Itaque juxta eum DCCC pene et L annis Trojano bello Moses senior reperitur. Cum haec ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius persequi. Et ob id in priori libello quasi quamdam materiam futuro operi omnium mihi regum tempora praenotavi, Chaldaeorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lydorum, Hebraeorum, Aegyptiorum, Atheniensium, Argivorum, Sicyoniorum, Lacedaemoniorum, Corinthiorum, Thessalorum, Macedonum, Latinorum, qui postea Romani nuncupati sunt .

In praesenti autem, stylo eadem tempora contra se invicem ponens, et singularum gentium annos dinumerans, ut quid cuique coaetaneum fuit, ita curioso ordine coaptavi. Neque me fugit, in Hebraeis codicibus dissonos aetatum annos inveniri, plusque vel minus, prout interpretibus visum est, lectitari: sequendumque illud potius, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Verum utcumque quis volet computet, et reperiet Inachi temporibus, quem primum Argis regnasse aiunt, patriarcham Hebraeorum fuisse Israelem, a quo duodecim Judaeorum tribus Israelis vocabulum sortitae sunt: Semiramin autem et Abraham contemporales fuisse, manifestum est. Nam Moses, licet junior supradictis sit, omnibus tamen, quos Graeci antiquissimos putant, senior deprehenditur, Homero scilicet et Hesiodo, Trojanoque bello, ac multo superior, Hercule, Musaeo, Lino, Chirone, Orpheo, Castore, Polluce, Aesculapio, Libero, Mercurio, Apolline, et caeteris diis gentium, sacrisque, vel vatibus, ipsius quoque Jovis gestis, quem Graecia in arce divinitatis collocavit. Hos, inquam, omnes quos enumeravimus, etiam post Cecropem Diphyem primum Atticae regem fuisse convincimus. Cecropem autem praesens historia Mosi coaetaneum ostendit, et antecedere Trojanum bellum annis CCCLXXV. Quod, ne cui dubium videatur, sequens ratio sic probabit. Quadragesimo secundo anno imperii Augusti CHRISTUS natus est; quintodecimo Tiberii anno praedicare orsus est. Si quis igitur retrorsum annorum supputans numerum, alterum Darii regis Persarum quaerat annum, sub quo templum Jerosolymorum, quod a Babyloniis destructum fuerat, instauratum est, reperiet a Tiberio usque ad Darium annos DXLVIII: Darii quippe secundus annus sexagesimae quintae

olympiadis anno primo fuit, et Tiberii XV in ducentesimam primam olympiadem incurrit. Fiunt ergo inter Darium et Tiberium olympiades CXXXVII, anni DXLVIII, quadriennio in una olympiade supputato. Deinde secundo Darii anno LXX desolationis templi annus expletur, a quo usque ad primam olympiadem retrorsum numerantur olympiades LXIV, anni CCLVI. Qui similiter supputantur a supradicto desolationis templi anno usque ad L annum Oziae regis Judaeorum, sub quo Isaias et Osee fuerunt. Itaque prima olympias in Isaiae, et reliquorum incurrit aetatem, qui cum eo prophetaverunt. Rursum si a prima olympiade ad superiora tempora et usque ad captivitatem Trojae proveharis, invenies annos CCCCVI (quos et nos in priore opusculo digessimus), ut [*Al.* et] curiosissima Graecorum historia conscribit. Item apud Hebraeos a supradicto Oziae anno et temporibus Isaiae prophetae, usque ad Samson et tertium annum Labdon Judicis, supputabis annos CCCCVI. Samson autem est, quem in corporis robore Herculi similem ferunt posteri Judaeorum. Et mihi videntur non multum inter se distare tempore, si quidem ambo circa Trojae captivitatem fuerunt. Post hoc iterum ad priora convertere, et cum CCC tibi et XXIX [*Al.* XXXIX] annos pes retroactus impleverit, Graecorum Cecropem Diphyem et Mosem invenies Hebraeorum. Nam a XLV Cecropis anno usque ad captivitatem Trojae, et ab LXXX aetatis Mosi anno, in quo populum Israeliticum de Aegypto eduxit, usque ad Labdon, et Samson Judices, computantur anni CCCXXIX. Itaque sine ulla ambiguitate Moses et Cecrops, qui primus Atheniensium rex fuit, iisdem fuere temporibus. Porro iste est Cecrops Diphyes indigena, sub quo primum in arce Oliva orta est, et Atheniensium urbs ex Minervae appellatione sortita

nomen. Hic primus omnium, Jovem appellavit, simulacra reperit, aram statuit, victimas immolavit, nequaquam istiusmodi rebus in Graecia umquam visis. Caetera quoque, quae apud Graecos mira jactantur, posteriora Cecropis annis deprehenduntur. Si autem Cecropis, consequenter et Mosi, qui cum Cecrope fuit. Post hunc enim scribitur diluvium sub Deucalione, incendium sub Phaetonte; Erichthonius Vulcani et terrae filius, Dardanus qui Dardaniam condidit: de quo Homerus: Quem primum genuit coelesti Jupiter arce; Liberae quoque raptus et Europae, sacra Cereris atque Isidis, delubrum in Eleusina, frumenta Triptolemi, regnum Trois:

Cujus dii natum Ganymedem, ad sidera raptum,
Vina Jovis magni voluerunt fundere mensis.

Quo tempore quoque Tantalus et Tityus fuerunt, et Apollo natus est. Nam Latona, Jovis conjux, tempore Tityi fuit. Latonae autem et Jovis Apollo filius. Post quos Cadmus Thebas venit: Qui Semelem genuit, de qua pulcherrima proles Liber condignam partu tulit edita frugem.

Porro Liber et reliqui quos mox inferemus, post CC annum Cecropis fuerunt. Linus scilicet, et Zetus, et Amphion, Musaeus, Orpheus, Minos, Perseus, Aesculapius, gemini Castor et Pollux, Hercules, cum quo Apollo servivit Admeto. Post quos facta est Trojanae urbis eversio: quam Homerus longo sequitur intervallo. Homerus autem Solone et Thalete Milesio, caeterisque, qui cum iis septem Sapientes appellati sunt, multo prior reperitur. Deinde Pythagoras exstitit, qui se non sapientem, ut priores, sed philosophum, id est, amatorem sapientiae, dici voluit. Quem secutus Socrates, Platonem erudivit: a quo famosa in partes philosophia divisa est. Horum singulos juxta ordinem sequentis historiae suis locis

inferemus [*Al.* inseremus]. Igitur Moses cunctos quos supra memoravimus, antecedit: qui [*Al.* quia] aetate Cecropis fuisse monstratus est. Ab LXXX autem anno Mosi, et egressu Israel ab Aegypto, rursus ad superiora conversus, usque ad primum annum Abrahae, reperies annos DV. Quos similiter a XLV anno Cecropis usque ad Ninum et Semiramim Assyriorum principes supputabis. Primus quippe omni Asiae, exceptis Indis, Ninus Beli filius regnavit. Itaque manifestum est, Abraham Nini

aetate generatum, juxta eum tamen numerum, quem contractiorem editione Vulgata sermo praebet Hebraeus. Verum incuriositate [*Al.* in curiositate] ne cesses: et cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abrahae usque ad totius orbis diluvium, invenies retrorsum annos DCCCCXLII. Item a diluvio usque ad Adam, MMCCXLII, in quibus nulla penitus Graeca, nec Barbara, et, ut loquar in commune, gentilis reperitur historia. Quamobrem praesens opusculum ab Abraham et Nino usque ad nostram aetatem inferiora tempora persequetur; et statim in principio sui Hebraeorum Abraham, Assyriorum Ninum et Semiramim proponet. Quia neque Athenarum adhuc urbs, neque Argivorum regnum nomen acceperat, solis Sicyoniis in Graecia florentibus: apud quos temporibus Abrahae et Nini Europem secundum regnasse ferunt. Quod cur etiam nos putemus, ex sequentibus demonstrabitur. Si enim diligenter enumeres ab ultima aetate Nini, usque ad Trojae captivitatem, invenies annos DCCCXXXIV. Item in Sicyone a XXII anno regis Europis, usque ad supradictum tempus, eosdem annos invenies DCCCXXXIV. Apud Hebraeos

quoque a nativitate Abraham usque ad Labdon et Samson Judices Hebraeorum, qui Trojanis temporibus populo praefuerunt, aeque supputabis annos DCCCXXXIV. Item apud Aegyptios ab aetate Nini et Semiramidis, quo tempore sextadecima jam dynastia Thebaei Aegyptis imperabant, usque ad vicesimam dynastiam, et regem Aegypti Thuorin, qui ab Homero Polybus vocatur, sub quo Troja capta est, colliguntur etiam supradicti anni DCCCXXXIV. Igitur consequenter in libelli fronte ponimus uno eodemque tempore Abraham, Ninum, Semiramim, Europem, Aegyptiorum Thebaeos. Et haec quidem ita se habere, ut praefati sumus, posterior textus ostendet. Nunc illud in cura est, ut etiam Hebraeorum annos in quatuor tempora dividamus. Ab Abraham usque ad Mosen, a Mose usque ad primam aedificationem templi, a prima aedificatione templi usque ad secundam instaurationem ejus, ab instauratione ejus usque ad adventum Christi Domini. A nativitate quippe Abrahae usque ad Mosen et egressum Israel ex Aegypto, computantur anni DV. A Mose usque ad Salomonem et primam aedificationem templi, anni CCCCLXXIX, secundum minorem tamen numerum quem tertius Regnorum liber continet. Nam juxta volumen Judicum, supputantur anni DC. A Salomone vero usque ad instaurationem templi, quae sub Dario Persarum rege facta est, colliguntur anni DXII. Porro a Dario usque ad praedicationem Domini nostri Jesu Christi, et usque ad quintum decimum annum Tiberii principis Romanorum, explentur anni DXLVIII. Itaque simul fiunt ab Abraham usque ad quintumdecimum Tiberii annum, anni MMXLIV. Similiter a Nino et Semiramide usque ad Mosen et Cecropem, anni DV. A Cecrope usque ad captivitatem

Trojae, anni CCCLXXV. A captivitate Trojae usque ad primam olympiadem, anni CCCCVI. A prima olympiade usque ad secundum Darii annum, et instaurationem templi, anni CCLVI. A secundo Darii anno et instauratione templi usque ad quindecimum annum Tiberii Caesaris, anni DXLVII [*Al.* DXLVIII]. Fiunt simul a Nino a Semiramide usque ad quintumdecimum Tiberii annum, anni MMXLIV, quos et ab Abraham usque ad Tiberium ostendimus supputatos. A Tiberii autem quindecimo anno usque ad decimum quartum annum Valentis, quo interiit, numerantur anni CCCLI. Itaque fiunt anni istius historiae MMCCCXCV. Et ne longus ordo numerorum aliquid forte turbationis afferat, omnem annorum congeriem in decadas caecidimus [*Al.* decidimus], quas ex singularium gentium historiis congregantes sibi invicem, facimus esse contrarias, ut facilis praebeatur inventio, cujus Graeci aetate vel Barbari, prophetae, et reges, et sacerdotes fuerint Hebraeorum. Item qui diversarum gentium falso crediti dii, qui heroes, quae quando urbs condita, qui de illustribus viris philosophi, poetae, principes, scriptoresque variorum operum exstiterint, et si qua alia digna memoria putavit Antiquitas. Quae universa in suis locis summa cum brevitate ponemus.

# FRAGMENTA GRAECA.

Μουσέα γένος Ἑβραίων [Al. κατὰ γένος Ἑβραίων] προφητῶν ἁπάντων πρῶτον, ἀμφὶ τοὺς [Sc. τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν] πρὸ ἐξ ἡμῶν, λέγω δὲ πρὸ ἐξ ἡμῶν, λέγω δὲ τοῦ Κριστοῦ, ἀμφί τε τῆς τῶν ἐθνῶν δι` αὐτοῦ θεογνωσίας χρησμοὺς, καὶ λόγια θείᾳ γραφῇ παραδεδωκότας, τοῖς χρόνοις ἀκμάσαι

κατὰ Ἴναχον, εἰρήκασιν ἄνδρες ἐν παιδεύσει γνώριμοι, Κλήμης, Ἀφρικανὸς, Τατιανὸς, τοῦ καθ` ἡμᾶς λόγου· τῶν ἐκ περιτομῆς Ἰώσηπος καὶ Ἰοῦστος ἰδίως ἕκαστος τὴν ἀπόδειξιν ἐκ παλαιᾶς ὑποσχὼν ἱστορίας. Ἴναχον δὲ τῶν Ἰλιακῶν ἔστησαν ἑπτακοσίοις πρεσβεύειν. Ἑλληνικῶν δὲ φιλοσόφων, ὅς τίς ποτε ἦν ἀνὴρ, ὁ τὴν καθ` ἡμῶν συσκευὴν προβεβλημένος, ἐν τῇ δ' τῆς εἰς μάτην πονηθείσης καθ` ἡμῶν ὑποθέσεως, πρὸ τῶν Σεμιράμεως χρόνων τὸν Μωϋσέα γενέσθαι φησί· βασιλεύει δὲ καὶ Ἀσσυρίων ἡ Σεμίραμις πρόσθεν ἔτεσι ν' πρὸς τοῖς ρ'. Ὥστεε ἶναι κατὰ τοῦτον τῶν Τρωϊκῶν Μωϋσέα πρεσβύτερον ν' καὶ ω' ἔτεσιν. Ἐγὼ δὲ περὶ πολλοῦ τὸν ἀληθῆ λόγον τιμοῦμενος [Sc. τιμώμενος], καὶ τὸ ἀκριβὲς ἀνιχνεῦσαι διὰ σπουδῆς προὐθέμην. Ἔνθεν ὁρμηθεὶς, ἐν μὲν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει ὕλας ἐκπορίζων ἐμαυτῷ χρόνων ἀναγραφὰς συνελεξάμην παντοίας, βασιλείας τε Χαλδαίων, Ἀσσυρίων, Μηδῶν, Περσῶν, Λυδῶν. Ἑβραίων, Αἰγυπτίον, Ἀθηναίων, Ἀργείων, Συκιωνίων, Λακεδαιμονίων, Κορινθίων, Θετταλῶν, Μακεδονίων, Λατίνων, οἷς ὕστερον γέγονεν ἐπίκλην ὄνομα Ῥωμαῖοι, ὁμοῦ γίνονται ιε'. Ἐν δὲ τῷ παρόντι ἐπὶ τὸ αὐτὸ τοὺς χρόνους συναγαγὼν, καὶ ἀντιπαραθεὶς ἐκ παραλλήλου τῶν παρ` ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν χρονικοῦ κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην· εὑρὸν δὲ παρ` Ἑβραίοις διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, τὴν μὲν πλεονάζουσαν, τὴν δὲ ἐνδέουσαν, μετὴλθον [Sc. ταύτὴν]. Πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτω κατὰ μὲν Ἴναχον, ὃν πρῶτον Ἕλληνες Ἄργους βασιλεῦσαί φασι, τὸν Ἑβραίων προπάτορα Ἰσραὴλ γενόμενον εὑρὼν, ἐξ οὗ τὸ δωδεκάφυλον, τοῦ δὲ [Sc. tacet δὲ] Ἰουδαίων ἔθνους τῆς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπωνυμίας ἠξιώθη, μετὰ δὲ τὴν Σεμίραμιν [Sc. τῆς Σεμιράμεως] τὸν Ἀβραὰμ, Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος, ἄλλως δὲ ἄνδρα θεοφιλῆ, καὶ πρῶτον τῶν παρ`

Ἑβραίοις προφητῶν εἶναι πεπιστευμένον, Μωσέα δὲ, φιλαληθῶς εἰπεῖν, τούτων μὲν νεώτερον, τῶν δὲ παρ᾽ Ἕλλησιν ἀρχαιολογουμένων ἁπάντων πρεσβύτατον, Ὁμήρου λέγω, καὶ Ἡσιόδου, καὶ αὐτῶν γε τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔτι Διοσκούρων, Ἀσκληπίου, Διονύσου, Ἡρώων τε πάντων, Ἑρμοῦ τε, καὶ Ἀπόλλωνος, τῶν τε λοιπῶν παρ᾽ Ἕλλησι θεῶν, μυστηρίων τε καὶ τελετῶν, Διός τε αὐτοῦ πράξεων τῶν παρ᾽ Ἕλλησι μνημονευομένων. Τούτων γὰρ ἁπάντων τὴν ἱστορίαν νεωτέρων τῆς Κέκροπος ἡλικίας παῖδες Ἑλλήνων παραδιδοῦσιν [Al. παραδε· δώκασι]. Μωσέα δὲ ἡ παροῦσα συνεξέτασις τῶν χρόνων γενέσθαι κατὰ Κέκροπα τὸν διφυῆ, ὃν πρῶτόν φασι τῆς Ἀττικῆς βασιλεῦσαι, συνίστησι πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἀμφὶ τὰ τν' ἔτη . . . . . Συντρεχόντων ὁμολογουμένως τῶν χρόνων Αὐγούστου Ῥωμαίων αὐτοκράτορος, καὶ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν γενέσεως, ἀρχήν τε τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας τοῦ Χριστοῦ ποιησαμένου κατὰ τό πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, εἴ τις ἀπὸ τούτου συναγαγεῖν ἐθέλοι τὸν τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν, προϊὼν ἐπὶ τοὺς ἀνωτέρω χρόνους τοὺς μέχρι Δαρείου τοῦ Περσῶν βασιλέως, καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ἀνανεώσεως τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις νεῶ, ἣ γέγονε κατὰ τὴν ἀπὸ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους, εὕρει [Al. εὕροι] ἂν ἀπὸ Τιβερίου, ἐπὶ τὸ δεύτερον ἔτος Δαρείου, ἔτη φμη'. Δαρείου μὲν γὰρ τὸ δεύτερον κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ξε' ὀλυμπιάδος καταντᾷ, Τιβερίου δὲ τὸ πεντεκαιδέκατον τῆς Ῥωμαίων βασιλείας κατὰ τὸ τέταρτον τῆς σα' ὀλυμπιάδος συμπίπτει. Γίνονται τοίνυν αἱ μεταξὺ Δαρείου τοῦ Πέρσου, καὶ Τιβερίου τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως, ὀλυμπιάδες ρλζ', αἳ συνάγουσι χρόνον ἐτῶν φμη', τετραετείας τῇ ὀλυμπιάδι λογιζομένης. Ἐπεὶ δὲ κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος Δαρείου τὸ ἑβδομηκοστὸν ὑπῆρχε τῆς ἐρημίας τοῦ ἐν

Ἱεροσολύμοις νεῶ, κἀντεῦθεν πάλιν ἀνατρεχόντων, ἀπὸ μὲν τοῦ δευτέρου ἔτους Δαρείου, ἐπὶ τὴν πρώτην ὀλυμπιάδα, ἔτη συνάγοιτο ἂν σνς', ὀλυμπιάδες ξδ'. Τοσαῦτα δὲ εὕροις ἂν τὰ ἀπὸ τοῦ ὑστάτου ἔτους τῆς ἐρημίας τοῦ δηλωθέντος ἱεροῦ, ἐπὶ τὸ ν' ἔτος Ὀζίου τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως ἀνιὼν, κάθ` ὃν ἐπροφήτευον Ἠσαΐας καὶ Ὠσέ. Ὥστε εἶναι τὴν πρώτην κάθ` Ἕλληνας ὀλυμπιάδα σύνδρομον τῷ προφήτῃ Ἠσαΐᾳ, καὶ τοῖς τούτου συγχρόνοις. Πάλιν δὲ ἀπὸ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος, ἐπὶ τοῦς ἔμπροσθεν ἀνιὼν χρόνους, μέχρι τῆς Ἰλίου ἁλώσεως, εὑρήσεις ἔτη συγκεφαλαιούμενα υη'. Ὡς αἱ παρ` Ἕλλησι τῶν χρόνων ἀναγραφαὶ περιέχουσι. Καὶ κάθ` Ἑβραίους ἀπὸ πεντηκοστοῦ ἔτους Ὀζίου τοῦ Ἰουδαίων βασιλέως ἀνιὼν ἐπὶ τὸ τρίτον ἔτος Λαβδὼν τοῦ παρ` Ἑβραίοις γενομένου κριτοῦ, καὶ τοῦ Σαμψὼν, τὸν ἴσον συνάξεις ἀριθμὸν ἐτῶν υη'· ὃν κατὰ τὴν τοῦ σώματος ἀλκὴν ἀνυπόστατον γενέσθαι ψασὶν ἐοικότα τῷ βοωμένῳ πάρ` Ἕλλησιν Ἡρακλεῖ. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Καὶ ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἀνωτέρω βαδίζων ἐν ταύτῳ τε συναγαγὼν ἀριθμὸν ἐτῶν τκθ', εὕροις ἄν κατὰ μὲν Ἑβραίους Μωσέα, κατὰ δὲ Ἕλληνας Κέκροπα τὸ γηγενῆ. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Οὗτός ἐστιν Κέκροψ ὁ διφυὴς γηγενὴς, ἐφ` οὗ ἡ ἐν τῇ ἀκροπόλει ἐλαία πρώτως ἐφύη· οὗτος ἀπὸ τῆς Ἀθήνης τὴν πόλιν Ἀθήνας ὠνόμασεν· ὃς πρῶτος λέγεται Ζῆνα κεκληκέναι θεὸν, μὴ πρότερον οὕτω πάρ` ἀνθρώποις ὠνομασμένον, ἔπειτα βωμὸν πάρ` Αθηναίοις ἱδρῦσαι, βοῦν θῦσαι, πρῶτος Ἀθήνης ἄγαλμα συστήσασθαι, ὡς οὐδὲ τούτων ἐκ παλαιοῦ ὑπαρχόντων. Κατώτερα δὲ τῶν Κέκροπος ἱστορεῖται χρόνον τὰ πάρ` Ἕλλησι θαυμαζόμενα . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . γίνεται γὰρ μετὰ Κέκροπα ὁ κατὰ Δευκαλίωνα

κατακλυσμὸς, καὶ ἡ ἐπὶ Φαέθοντος ἐκπύρωσις, Ἐριχθονίου τε γένεσις, καὶ ἡ ὑπὸ Δαρδάνου τῆς Δαδρανίας κτίσις, ὃν πρῶτον, φησὶν Ὅμηρος . . . , τέκετο νεφεληγερέτα Ζεύς.

Κόρης τε ἁρπαγὴ, καὶ Δήμητρος μυστήρια, καὶ ἡ τοῦ ἐν Ἐλευσῖνι τεμένους καθίδρυσις, Τριπτολέμου γεωργία. Τρωός τε βασιλεία, οὗ υἱὸν. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ἀνηρείψαντο θεοὶ Διῒ οἰνοχοεύειν Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν᾽ ἀθανάτοισι μετείη. Τιτυὸς δὲ συνεχρόνισε Ταντάλῳ· ναὶ μὴν ἡ Λητὼ κατὰ Τάνταλον· καὶ Ἀπόλλωνος γένεσις: Λητὼ γὰρ ἥλκησε Διὸς κυδρήν παράκοιτιν. Κάδμος τε ὁ Σεμέλης πατὴρ εἰς Θήβας ἔρχεται. Καδμείη δ᾽ ἄρα οἱ Σεμέλη τέκε φαίδιμον υἱὸν Μιχθεῖσ᾽ ἐν φιλότητι Διώνυσον πολυγηθῆ. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Τούτων οὖν ἁπάντων πρεσβύτερος γεγονὼς συνίσταται Μωσῆς, ὡς ἂν κατὰ Κέκροπα τὴν ἡλικίαν ἀκμάσας. Ἀπὸ δὲ τοῦ π' Μωσέως πάλιν ἀνιὼν ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος ζωῆς Ἀβραὰμ, εὑρήσεις ἔτη πε', τοσαῦτα δὲ ἀπὸ τοῦ δηλωθέντος ἔτους τῆς Κέκροπος βασιλείας τὸν ἀνωτέρω χρόνον ἀπαριθμούμενος, ἐπὶ Νῖνον ἥξεις τὸν Ἀσσύριον, ὃν πρῶτόν φασιν ἁπάσης τῆς Ἀσίας, πλὴν Ἰνδῶν, κεκρατηκέναι, ὥστε εἶναι τὸν Ἀβραὰμ κατὰ τοῦτον.

Ἐν οἷς οὐδὲν ἐπίσημον γεγονὸς ἱστορεῖται πάρ᾽ Ἕλλησι. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Οὔπω τότε Ἀθηναίων οὔτε τὴν πόλιν, ούτε τὴν προσηγορίαν. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

# EXORDIUM LIBRI.

I. Incipiunt tempora totius saeculi, regesque gentium omnium, quibus locis, quibusque temporibus in suis provinciis, et quantum regnaverint [*Al.* regnaverunt], vel si quid memoriae dignum per generationes, nativitates, et regna, et ducatus, per [*Al.* et per] omnem actum Judicum, et omnium regum Juda, et aliorum qui non ex eadem tribu regnaverunt, per regnum [*Al.* regna] Assyriorum, caeterarumque gentium, et tempora dictatorum cum consulibus ordinariis. Sed et tempora imperatorum, et Caesarum, et quibus temporibus historiographos fuisse dixerunt; sed et successiones eorumdem, quod per ordinem rerum superius declaratum est. Quorum universa tempora, gesta, sive apud Hebraeos, vel apud Graecos, vel apud Romanos, sive apud Barbaros, caeterasque gentes, quae gesserunt, vel constituerunt per historias, in hoc libro plenissime demonstrantur: quod et in libro hoc historiae singulae conscriptae declarant, deorum generationem, vel singulorum progeniem, sive his temporibus ipsis antelatis, quae gesserunt, et tempora Olympiacorum, ex quo primus agon gymnicus constitutus, quos [*Al.* constitutus est, quod] Graeci Olympias (*sic*) appellant. Et quo tempore adventus fuit Salvatoris nostri JESU CHRISTI, sive passio ejus; simulque et nomina episcoporum Ecclesiarum numero quatuor, hoc est, Romanorum, Alexandriae, Jerosolymorum, et Antiochiae, qui per easdem civitates metropoles provinciarum episcopi, quantum temporis singuli sederint [*Al.* sederunt], vel qui eorum episcopatus sui tempore martyrio coronatus sit, sive tempora persecutionum, quibus temporibus Ecclesiae

dissipatae sint. Sed et tempora regum Macedonum, Alexandriae [*Al.* Alexandri], et quoto agone Olympiacorum, vel quibus temporibus, seu consulibus finem Alexander fecerit Judaeis, vel Vespasianus insecutionem, sive destructionem templi eorum miserit, et tributa eis constituit.

II. Numeratio temporum non solum ante hominum genus, sed etiam ante lumina ipsa atque stellas esse, cognoscitur. Nam cum primum fecit Deus coelum et terram, cum ipsis quoque elementis, quae in his elementis condita sunt, id est, aquas et spiritus, abyssosque; et tenebris [*Al.* tenebras], necdum luminibus neque sideribus constitutis, dixit Deus: *Fiat lux: et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quia bona est, et separavit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem: et factum est vespere et mane dies unus* **(Gen. I, 3-5)**. Hic primus dies saeculi, non primus dierum omnium. Ideoque non primus, sed unus nominatus est. Secundo autem die factum est firmamentum in medio aquarum, quod et divisit inter aquam et aquam. Tertio autem die congregatae sunt aquae, quae sunt sub coelo, in congregationem unam, et apparuit arida, quam Deus *Terram* nominavit, atque congregationes aquarum appellavit *Maria,* herbamque produxit terra, et lignum fructiferum cum semine suo. Quarto igitur die facta sunt luminaria duo in firmamento coeli, ut luceant super terram ad inchoationem diei et noctis, et ut dividant inter diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, et sint in splendorem firmamenti [*Al.* in firmamentum] coeli, et luceant super terram. Quibus ita perfectis, manifestum est luminibus ipsis antecedere lucem tribus diebus. Unde mihi videntur Aegyptii, caeteraeque gentes hoc sequentes decretum, quatuor

annis impletis, diem integrum superfluum, quem [*Al.* quod] etiam *bissextum* nominavere [*Al.* solent nominare]. Nam cum tres dies istos computare qui sint, atque recogitare voluerimus, unius anni centesimam vigesimamque partem istam esse cognoscimus [*Al.* cognoscemus]. Centesima autem et vigesima dies invicem computata, ista tertia pars esse anni dignoscitur. Tertia ergo addita parte annali [*Al.* annuali] quadriennio, dies integer completur, atque ad partium partes, menses atque anni superflui computantur, quos Hebraei quidem *embolismos* vocare solent, Aegyptii autem *exaltationes siderum* atque *stabilitates* appellant: immo *bissextum* ob rememorationem lucis atque dierum et noctium, quae luminibus triduum antecesserunt, celebratur, ideo quod tres dies sine auctore sole processerunt.

III. Nos igitur tempora conscribimus, non quae sunt saeculi mundi, neque luminum aut siderum, neque fructuum, aut lignorum, aut piscium, sed generationem hominum, cujus primus fuit Adam, factus sexto die. Quinto autem die dixit Dominus: *Educant aquae reptilia animarum vivarum, et volatilia coeli. Et factum est sic. Et fecit Deus belluas, et cetos, et omnem animam vivam repentem, quas eduxerunt aquae secundum suum genus, et omnem volatilem secundum genus suum. Et vidit Deus quia bona sunt, et benedixit ea Deus, et dixit: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas, quae sunt in mari, et volatilia multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus. Sexto autem die dixit Dominus: Educat terra animam vivam secundum genus suum, quadrupedia et reptilia bestias terrae secundum suum genus. Et vidit Deus quia bona sunt, et dixit: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem*

*piscium maris, et volatilium coeli, et omnium jumentorum, et totius terrae, et omnium reptilium, quae sunt super terram. Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum: masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos* [Al. *addit Deus], dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus, et habete potestatem piscium maris, et volatilium coeli, et omnium reptilium, quae sunt super terram* **(Ibid., 20-28)**. Quomodo autem Deus eum, et unde fecerit [*Al.* fecit], post alia dicit: *Et finxit hominem Deus de limo terrae, et sufflavit* [Al. *insufflavit] in faciem ejus spiritum vitae, et factus est homo in animam viventem* [Al. *vivam*] **(Gen. II, 7)**. Et iterum post alia: *Et dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem solum, faciamus ei adjutorium secundum eum* **(Ibid., 18)**. Et post alia: *Adae autem non est inventus adjutor similis illi: Et immisit Deus soporem in Adam, et obdormivit: et apprehendit unam costam de latere ejus, et replevit locum carne ejus. Et aedificavit Dominus* [Al. addit *Deus] costam, quam sumpsit ab Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam videre quid eam vocaret. Et dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Haec vocabitur Virago* [Al. *mulier], quia de viro suo sumpta* [Al. *accepta] est* **(Ibid., 20-25)**. Ex his duobus omnis hominum multitudo procreata est. Unde etiam nos dinumerationem temporum facientes incipimus.

IV. Adam. Eva. Adam autem vocavit nomen mulieris suae Eva, quod interpretatur *vita,* quia ipsa est mater viventium. Adam autem cognovit Evam uxorem suam, et concipiens peperit Cain, et dixit: Acquisivi hominem per Deum, et adjecit fratrem illius parere Abel. Et factus est Abel pastor ovium, Cain vero agricola [*Al.* operans terram]. Igitur cum uterque

de suorum laborum fructibus immolarent, apparerent autem oblationes Abel acceptabiles magis coram Domino, tactus Cain invidia, insolens fratrem innocentem interemit, cujus morte genitor consternatus, ac sublatus in tempora, ab amplexu conjugis abstinuit Adam. Cum vero esset annorum CL genuit Seth, deinde alios mares et feminas. Fuerunt autem anni ejus DCCCCXXX. Seth autem cum esset annorum CXXX genuit Enos: deinde in tempus alios mares et feminas. Fuerunt autem anni ejus DCCCCXII. Enos vero cum jam esset nonagenarius genuit Cainam: deinde alios filios et filias. Fuerunt autem anni ejus DCCCCV. Cainam vero cum esset septuagenarius genuit Malaleel: deinde alios filios et filias. Fuerunt omnes anni ejus DCCCCX. Malaleel quadragenarius genuit Jareth: deinde alios filios et filias. Fuerunt anni ejus DCCCXCV. Jareth in CLXI anno genuit Enoch: deinde in tempora alios filios et filias. Fuerunt anni ejus omnes DCCCCLXII. Enoch autem LXV anno genuit Mathusalem: deinde alios filios et filias. Vir fuit justus, vixit in humanis annis CCCLXV, et assumptus est. Mathusalem vero in CLXXXVII anno genuit Lamech: deinde alios filios. Omnes anni ejus DCCCCLXIX. Lamech autem anno CLXXXII genuit Noe, qui interpretatur *consolator* ab operibus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus: et deinde alios filios et filias. Fuerunt omnes anni vitae ejus DCCLXXVIII. Superiori tempore Cain fratricida ob divinam indignationem profugit ad orientalem plagam, et consedit apud regionem Eden. Cognovit autem uxorem suam, et genuit Enoch, ad cujus proprium nomen fundavit urbem in vocabulo filii. Porro Enoch genuit Gaidad, qui genuit Maviael, qui genuit Mathusalem, qui genuit Lamech, qui ex argumento vaticinatus divinam ultionem septuplam fuisse in

Cain propter homicidium fratris; in se autem septuagies [*Al.* septuagesies] septies futuram ob necatum a se adolescentem sui vulneris in livore. Iste Lamech duxit sibi binas uxores, Adda scilicet et Sella. Ex Adda genuit Jobel, qui primum intra tentorium habitaculis moram [*Al.* morem] gessit. Ex eadem genuit Jubal, qui fuit citharoedorum primus. Ex Sella genuit Thobel, qui mirabilis malleator fuit in omni fabrili arte metallorum.

V. Noe vero cum D esset annorum genuit Sem, Cham et Japhet. Et cum multiplicassent homines super terram valde, ac ducerent uxores speciosas, in quarum formam exardescerent in concubitum, prout cujusque libido fuit, ex quibus gigantes viri famosi potentes a saeculo geniti in populos flagitiosos crescerent, proclives in omne facinus, spreto divino timore, sine cultu religionis. Cum foret autem Noe solus justus, placens Deo in generationibus suis, decrevit Deus servari de quacumque specie, ad reparandum semen cujuslibet animantium: caetera autem universa per diluvium perdere ac ulcisci, ab homine usque ad pecus, tam volatilium quam reptantium super terram. Instituit ergo Noe fabricari arcam ex lignis elaboratis et levigatis tabulamentis, altam XXX cubitis, latam L, longam CCC, et in cubitu consummatam, bitumine linitam intrinsecus et extrinsecus, divisam in mansiunculas et tristega. In quam sic dispositam introivit Noe cum filiis, et uxoribus suis, ac introduxerunt nutu Dei ex omnibus animantibus mundis, ex feminis septena, ex immundis vero bina: escam similiter juxta propriam cujuslibet naturam convenientia ad vescendum pabula. Septimo autem die ab ingressu arcae, quae fuit XVII mensis secundi, excesserunt aquae terminos et confinia naturae, tantaque vis imbrium

largissimorum est exorta, tam ingens aquarum abyssus invasit continuo incremento per dies quadraginta, scissis cataractis coeli, donec nedum superficiem totius orbis, sed universa montium cacumina sub undis involverent cubitis XV altiores. Porro arca ferebatur super aquam, ex qua consumpta est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptibilium, quae reptabant super terram, universi homines, et cuncta in quibus erat spiraculum vitae. *Obtinueruntque aquae terras* CL *diebus, et recordatus est Deus Noe, et omnium animalium quae erant cum eo in Arca, adduxitque spiritum super terram, et cessavit aqua, et adoperti sunt fontes abyssi, et cataractae coeli: et cessavit pluvia de loco, et deficiebat aqua descendens de terra, et diminuebatur aqua post* CL *dies, et sedit arca in septimo mense* XVII *die mensis super montes Ararath* **(Gen. VIII, 1-3)**. Isti montes in Armenia superiore sunt secus Persas. *Aqua autem magis diminuebatur, usque ad decem menses; decimo autem mense primo die mensis visa sunt capita montium. Et factum est post* XL *dies, aperuit Noe fenestram Arcae quam fecerat, et dimisit corvum videre si cessasset aqua a facie terrae, et exiens non est reversus ad eum. Et sustinuit donec siccaretur aqua a terra, et dimisit columbam a se, videre si aqua cessasset a facie terrae, et non inveniens columba requiem pedibus suis, reversa est ad eum in arcam: quia aqua erat super omnem faciem terrae. Extendens autem manus suas Noe accepit eam, et induxit eam apud se in arcam. Et sustinuit adhuc septem dies alios, et iterum dimisit columbam de arca, et reversa est ad eum columba ad vesperum, et habuit folium olivae cum surculo in ore suo. Et intellexit Noe quia cessavit aqua a facie terrae. Et sustinuit Noe adhuc septem dies alios, et dimisit columbam, et non est ausa reverti ad*

*eum. Tenuit ergo diluvium terram donec siccaretur annum integrum* **(Ibid., 5-14)**. Postquam introivit autem Noe in arcam, septimo die inclusit Deus de foris fenestram arcae, et XL diebus, et XL noctibus facta est pluvia, stetitque aqua CL dies. Post istos dies clausi sunt fontes abyssi, et coepit aqua diminui. Septimo autem mense sedit Arca super montem Ararath. Diminuebatur autem aqua usque XI menses. Prima autem die hujus mensis capita montium reliquorum visa sunt, et caetera ut supra. Postea Noe denudavit arcae tectum post annum integrum, et hoc ipsum scribitur, et significat dicens: *Et factum est in primo et* DC *anno vitae Noe, primo die mensis, cum minuisset aqua a facie terrae, denudavit Noe tectum Arcae, quod fecerat, et vidit quod defluxisset aqua a facie terrae. In secundo autem mense* VII *et* XX *die mensis siccata est terra* **(Ibid., 14, 15)**: et exiit Noe, et uxor ejus, et filii ejus, et uxores filiorum suorum cum eo, omnes bestiae et omnia peccora, et omnia reptilia, quae moventur super terram, secundum genus suum, et omnia volatilia secundum genus eorum exierunt de arca.

## AB ADAM, USQUE AD DILUVIUM, SUNT ANNI MMCCXLII; SECUNDUM HEBRAEORUM NUMERUM ANNI MDCLVI.

Et facti sunt omnes dies Noe anni DCCCCL, et mortuus est.

# FILII NOE.

VI. Sem, Cham, et Japhet. Filii Sem: Elam, unde Elamitae; Assur, unde Assyrii; Arphaxad, unde Arabi; Lud, unde Lydii; Aram, unde Syri. Aramei autem Syriace dicuntur filii Aram, Us, et Ul, et Gater, et Mosoch, gentes Barbarorum sunt secus Persas. Filii Cham: Chus, unde Aethiopes; Mestre, unde Aegyptii; Furfur, unde Aethiopum gens; Chanaan, Chananaei. Filii autem Chus: Saba, unde Sabaei dicti. Ab ista terra regina venit videre sapientiam Solomonis. Evilat, gens Evilea. Filii Japhet, Gomer, et Magog, et Madai, et Jaynam, Elissa, et Thobel, et Mosoth, et Thiras. Filii Gomer, Aschonez, unde gentes Gothicae.

# NATIONES SEM.

VII. Arphaxad genuit Salam, Sala autem genuit Heber, unde Hebraei. Filii autem Heber, Phalec, et Jectan. Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Jareth, et Adoram, et Aizal [*Al.* Jarach et Odorra et Fiziel], et Decla, et Abimael, Saban, et Uphir, et Evilat, et Jobab. Hi omnes sunt filii Jectan. Et facta est habitatio [*Al.* inhabitatio] ipsorum a Masse usque dum veniatur in Sephar [*Al.* Sephara] montem Orientis. Hi filii Sem in tribus suas, secundum linguas suas, in regiones suas, et nationes suas .

# NATIONES CHAM.

VIII. Sabatha, et Regma, Sabathaca. Filii autem Regma, Seba, et Dadan. Chus autem genuit Nemroth. Hic coepit esse gigas super terram, venator ante Dominum. Et factum est in initio regni ejus Babylon, Arach, et Acad, et Jacar, et Chalanne, in terra Sennaar, ubi statuit Nabuchodonosor statuam suam. Et Mesariam genuit Ludim, et Anamiim, et Labiim, et Nephuthuiim, et Phetrusiim, et Celuim: unde egressus est inde Philistim, et Caphthurim. In Chanaam autem genuit Sidona primogenitum, et Cethaeum, et Jebusaeum, et Amorrhaeum, et Gergesaeum, et Arachaeum, et Samarium, et Amathaeum. Hi sunt filii Cham in tribus suas, secundum linguam suam, et in terris suis, et gentibus eorum.

## NATIONES JAPHET.

IX. Gomer, et Magog, et Madai, et Jaynam, et Thobal, et Mosoch, et Thiras. Et filii Gomer, Aschonez, et Riphat, et Thogorma [*Al.* Thogarma]. Et filii Jaynan Elissa, et Tharsis, Citii, Rhodii. Ab his divisae sunt insulae gentium in terra eorum, unusquisque secundum linguam suam in tribubus suis, et gentibus suis.

X. Sem filius Noe cum esset annorum C genuit Arphaxad secundo anno post diluvium. Et vixit Sem postquam genuit Arphaxad annis D et genuit filios et filias, et mortuus est. Arphaxad cum esset annorum CXXXV genuit Cainam. Et vixit Arphaxad postquam genuit Cainam annis CCCCXXX, et genuit filios et filias. Cainam cum esset annorum CXXX genuit Sala. Et vixit Cainam postquam genuit Sala annis

CCCXXX, et genuit filios et filias, et mortuus est. Sala cum esset annorum CXXX genuit Heber. Et vixit Sala postquam genuit Heber annis CCC, et genuit filios et filias, et mortuus est. Heber cum esset annorum CXXXIV genuit Phalec. Et vixit Heber postquam genuit Phalec annis CCCLXX [*Al.* CCLXX], et genuit filios et filias, et mortuus est. Phalec cum esset annorum CXXX genuit Rhagau. Et vixit Phalec postquam genuit Rhagau annis CCIX, et genuit filios et filias, et mortuus est. Rhagau cum esset annorum CXXXII genuit Seruch. Et vixit Rhagau, postquam genuit Seruch, annis C, et genuit filios et filias, et mortuus est. Seruch cum esset annorum CXXX genuit Nachor. Et vixit Seruch postquam genuit Nachor annis CC, et genuit filios et filias, et mortuus est. Nachor cum esset annorum LXXIX genuit Thare. Et vixit Nachor postquam genuit Thare annis CXXV, et genuit filios et filias, et mortuus est. Thare cum esset annorum LXX genuit Abram, et Nachor, et Aram. Aram autem ante conspectum patris sui mortuus est, reliquitque filium, qui nominabatur Loth, quem socium habuit Abram. Ab anno diluvii usque ad nativitatem Abrahae sunt anni MLXXII. Thare iste post mortem filii sui Aram adduxit omnes suos de sua regione et provincia Assyriorum, ubi nati fuerunt, et Abraham, et Nachor, et Aram mortui filium, et venit in terram Charan et habitavit ibi annis CCV, et mortuus est in Charan, ubi habitavit in regione Chananaeorum. Hujus Tharae anno XXVIII, Assyriorum rex primus Belus mortuus est, quem Assyrii deum nominaverunt, et alii dicunt Saturnum, atque filio suo regnum tradiderunt: vocabatur autem Ninus. Hujus Tharae anno XLIX, Sicyoniorum in Graecia regnavit Europs, defuncto Aegialeo, qui primus Sicyoniorum regnavit: ex quo territorium Peloponnesiorum Aegialea vocabatur.

XI. Nachor vir, Melcha conjux. Filii Melchae, Ox, Baux, Camuel, Cazat, Axau, Pheldas, Jeldath, Bathuel. Iste est, qui supra Bathuel, ex quo Rebecca: haec est uxor Isaac: concubina Regma. Filii Regmae, Chaman, Tabee, Tochos, Maacha. Nascuntur ergo ex Nachore et Melcha uxore filii octo, atque neptis [*Al.* nepos] Rebecca, quae fuit uxor Isaac: et ex Regma concubina nascuntur filii quatuor. Omnes ergo filii Nachor duodecim. Abraham maritus, Sara uxor, Filii Sarae, Esau, Jacob: concubina Agar, ancilla Sarae. Ismael. Filii Ismael, Nabaloth, Cedar, Nabdeel, Massa, Masna, Iduma, Masse, Codar, Thamam, Jethur, Naphas, Cedma. Filii Maziam quinque, Sephar, Gephar, Enoch, Abira, Begali. Cethura uxor Abrahae. Filii Cethurae sex, Zambram, Jectam, Madal, Madiam, Jesboch, Sobe. Filii Jectam tres, Saba, Theba, Dadan. Filii autem Dadan quinque, Raguel, Nabdeel, Assurum, Latusim, Jomim.

XII. Abraham primam aetatem apud Chaldaeos agebat: postea autem cum patre suo transmigravit in Charam terram Chananaeorum, ubi visus est illi Deus, dicens: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam tibi ostendam, et faciam te in gentem magnam,* etc. **(Gen. XII, 1)**. Qui jussioni obaudiens, accepto filio Aram fratris sui, exivit cum eo, et venit in terram Chanaan, usque ad locum Sichem ad arborem excelsam, ubi visus est illi Deus, atque promissionem seminis, atque haereditatis dedit. Erat autem tunc annorum LXXV. Abraham autem vixit annis CLXXV, cujus tempora dinumerabimus, annis expositis. Sed quia temporibus patris sui Tharae insignia regnorum esse ceperunt, jam quidem quo anno fuerint, exposuimus. Modo autem temporibus Abrahae

annum ad annum comparabimus [*Al.* comparamus], ut sciamus quid memoriae dignum, et quibus annis gestum sit: sive apud Hebraeos, sive apud Graecos, sive Barbaros, caeterasque gentes, quarum historiographi memoriam [*Al.* memorias] fecerunt.

## *Aegyptior.* (11 to 12)

## *Aegypti  VAPHRES, ann.* 30. (1)

## *Romanorum.* (20 to 22)

20 Tarquinius Priscus  Circum Romae aedificavit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros et cloacas aedificavit, ad extremum ab Anci filiis occisus est, regis ejus, cui ipse successerat.

## *Lydorum.* (13 to 15)

14 Massilia  condita civitas Galliae.

15 Epimenides  Athenas emundavit.

## *Ann ab Abr.* (1420)

*Olymp*. (46 to 47)

*Medorum*. (3 to 8)

*Macedonum*. (13 to 18)

*Hebr*. *Judae*. (6 to 11)

*Aegyptior*. (2 to 7)

*Romanorum*. (23 to 28)

*Lydorum*. (16 to 21)

17 Solon, Draconis legibus antiquatis, extra eas quae ad sanguinem pertinebant, sua jura constituit.

## *Ann. ab. Abr.*

JUDAEA GENS CAPITUR. Nabuchodonosor rex Chaldaeorum Hierosolymis captis templum incendit, quod ab initio aedificationis suae manserat annis 442. Sententiae autem nostrae etiam Clemens congruit in primo Stromate, 47 olympiade Captivitatem Judaeorum factam esse contestans, regnante apud Aegyptios Vaphre, apud Athenas Phenippo: et supputari 70 annos desolationis templi usque in secundum annum Darii.

## *Olymp.* (48)

Capta Hierosolyma, ab Assyriis ad Vaphrem, regem Aegypti, reliqui Judaeorum transfugerunt. Hujus Vaphris Hieremias propheta meminit.

His temporibus, certantibus in agone tragus, id est, hircus praemio dabatur: unde aiunt tragoedos nuncupatos.

Corinthiorum monarchia destructa est.

*Medorum*. (9 to 12)

*Macedonum*. (19 to 22)

*Jud. Captivitas.*

*Hebraeorum captivitatis, et exterminii templi, quod fuit in Jerusalem, an.* 70 . (1 to 4)

1 Primus annus captivitatis Jerusalem.

*Aegyptior*. (8 to 11)

*Romanorum*. (29 to 32)

*Lydorum*. (22 to 25)

25 Solis facta defectio, cum futuram eam Thales ante dixisset.

## *Ann. ab Abr.* (1430)

## *Olymp.* (49)

## *Medorum.* (13 to 17)

## *Macedonum.* (23 to 26)

## *Macedon. VIII, ALCETAS, an.* 29. (1)

## *Jud. Captivitas.* (5 to 9)

7 In Babylone prophetabant Daniel et Ezechiel.

*Aegyptior*. (12 to 16)

*Romanorum*. (33 to 37)

*Romanor. VI, SERVIUS, an.* 34.

*Lydorum*. (26 to 30)

28 Alyattes et Astyages dimicaverunt.

30 Isthmia post Melicertem, et Pythia primum acta.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp*. (50 to 52)

## *Medorum.* (18 to 27)

## *Macedonum.* (2 to 11)

## *Jud. Captivitas.* (10 to 19)

19 Mortuo Nabuchodonosor, Babyloniorum rege, suscepit imperium EVILMERODAC, cui successit frater ejus BALTASAR, sub quo Daniel eam scripturam, quae in pariete apparuerat, interpretatus est, significantem imperium Chaldaeorum in Medos et Persas transferendum.

## *Aegyptior.* (17 to 26)

## *Romanorum.* (1 to 10)

1 Servius ancillae, sed nobilis captivae filius, tres montes Urbi addidit, Quirinalem, Viminalem et Exquilinum: fossas circum muros duxit: census Romanorum civium primus instituit, et ad extremum Tarquinii Superbi generi sui, superioris regis filii, scelere occisus est.

## *Lydorum*. (31 to 40)

31 Septem Sapientes appellati.

33 Astyages contra Lydos pugnat.

35 Anaximander Milesius physicus agnoscitur.

36 Agon Nemeacus primum ab Argivis actus, post eum qui sub Archemoro fuerat.

## *Ann. ab Abr*. (1440)

## *Olymp*. (53)

## *Medorum*. (28 to 32)

## *Macedonum*. (12 to 16)

*Jud. Captivitas.* (20 to 24)

*Aegyptior.* (27 to 30)

*Aegyptior. AMASIS, annis* 42. (1)

*Romanorum.* (11 to 15)

*Lydorum.* (41 to 45)

41 Abaris de Scythia venit in Graeciam.

42 Phalaris tyrannidem exercuit an. 16.

44 Eugamon Cyrenaeus, qui Telegoniam scripsit, agnoscitur.

45 Agon gymnicus, quem Panathenaeon vocant, Athenis actus.

*Ann. ab Abr.* (1450)

*Olymp*. (54)

*Medorum*. (33 to 38)

*Principium regni Persarum*. Cyrus Medorum destruxit imperium, et regnavit Persis, subverso Astyage rege Medorum.

*Macedonum*. (17 to 22)

*Jud. Captivitas*. (25 to 30)

*Aegyptior*. (2 to 7)

## *Romanorum.* (16 to 21)

## *Lydorum.* (46 to 49)

47 Aesopus interimitur a Delphis.

48 Pisistratus Atheniensium tyrannus in Italiam transgreditur.

## *Lydorum IX, CROESUS, an.* 15. (1 to 2)

1 Anaximenes Physic. Philosoph. agnoscitur.

Stesichorus poeta moritur.

Simonides clarus habetur.

## *Ann. ab. Abr.*

## *Olymp.* (55)

*Persarum.*

*Persarum. I, CYRUS, an.* 30. (1)

*Macedonum.* (23)

*Jud. Captivitas.* (31)

31 Cyrus Hebraeorum captivitate laxata, quinquaginta ferme hominum millia regredi fecit in Judaeam, qui constructo altari, Templi fundamenta jecerunt: sed cum a vicinis gentibus fabricatio impediretur, imperfectum opus usque ad Darium permansit, solo altari consistente.

Prophetabant Aggaeus et Zacharias, quo tempore Jesus filius Josedech, et Zorobabel regii generis filius Salathiel, clari habentur, qui et principes fuerunt eorum qui regressi sunt in Judaeam.

*Aegyptior.* (8)

*Romanorum*. (22)

*Lydorum*. (3)

3 Chilon, qui de VII Sapientibus fuit, Ephorus in Lacedaemone constituitur, id est, *respector*.

*Ann. ab Abr*.

*Olymp*. (56 to 58)

*Persarum*. (2 to 13)

*Macedonum*. (24 to 29)

*Macedonum IX, AMYNTAS, an.* 50. (1 to 6)

*Jud. Captivitas*. (32 to 43)

*Aegyptior*. (9 to 20)

*Romanorum*. (23 to 34)

*Lydorum*. (4 to 15)

7 Xenophanes Colophonius clarus habetur.

9 Ea quae de Croeso memorantur, quomodo tentarit oraculum.

12 Croesus adversus Cyrum bellum iniit.

Thales moritur. Templum Apollinis Delphici secunda vice incensum.

Cyrus Sardeis capit. Croesus a Cyro captus est: et Lydorum regnum destructum est, quod stetit an. 130.

Harpagus, qui apud Cyrum primi loci habebatur, adversus Ioniam dimicat.

## *Ann. ab Abr.* (1460)

## *Olymp.* (59)

## *Persarum.* (14 to 20)

## *Macedonum.* (7 to 13)

10 Theognis poeta clarus habetur.

11 Pisistratus secunda vice Athenis regnat.

13 Pherecides historicus Pythagorae magister clarus habetur.

## *Judae. Captivitas.* (44 to 50)

## *Aegyptiorum.* (21 to 27)

## *Romanorum VII, TARQUINIUS, an.* 35. (1 to 7)

Tarquinius Superbus excogitavit vincula taurea [*F. leg.:* vincula, *taureas*], fustes, compedes, catenas latomias, carceres, exsilia, metalla.

Tarquinius Superbus, socero Servio occiso, arripuit imperium. Volscos, Gabios, Suessam, Pometiam subegit: et cum oppugnaret Ardeam, causa Tarquinii junioris filii sui, qui Lucretiam corruperat, regno exclusus est.

## *Ann. ab Abr.* (1470)

## *Olymp.* (60 to 62)

## *Persarum.* (21 to 30)

30 Tomyris regina Massagetarum Cyrum interfecit.

## *Macedonum*. (14 to 23)

14 Hybicus carminum scriptor agnoscitur.

16 Simonides lyricus, et Phocylides clari habentur, et Xenophanes physicus tragoediarum scriptor.

20 Anacreon Lyricus poeta agnoscitur.

22 Apud Samum tyrannidem exercent tres fratres Polycrates, Sylus, et Pantagnostus.

## *Judae. Captivitas*. (51 to 60)

## *Aegyptiorum*. (28 to 37)

## *Romanorum*. (8 to 17)

## *Ann. ab. Abr*. (1480)

## *Olymp.* (63 to 64)

## *Persarum II, CAMBYSES, an.* 8. (Cambisen istum aiunt ab Hebraeis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia conscribitur.) (1 to 7)

## *Macedonum.* (24 to 30)

25 Samii Dicaearchiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant.

29 Pythagoras physicus philosophus clarus habetur.

30 Hipparchus et Hippias Athenis tyrannidem exercent.

## *Judae. Captivitas.* (61 to 67)

64 Apud Hebraeos pontifex maximus Jesus filius Josedech, et princeps gentis Zorobabel, qui eos regnabat, clari habentur.

*Aegyptiorum.* (38 to 42)

*Aegypti XXVII dynastia, in qua Persarum rex: obtinuit quippe Aegyptum Cambyses in anno quinto regni sui usque ad Darium filium Xerxis an.* 111.

*Romanorum* (18 to 24)

*Ann. ab Abr.* (1490)

*Olymp.*

*Persarum.* (8)

*Persarum III, duo fratres Magi, menses* 7. (1)

*Post quos DARIUS, IV, an.* 36. (1)

*Macedonum.* (31 to 33)

*Judae. Captivitas.* (68 to 70)

68 Prophetabant apud Hebraeos novissimi Aggaeus, Zacharias et Malachias.

*Aegyptiorum.*

*Romanorum.* (25 to 27)

*Ann. ab Abr.*

Secundo anno Darii regis, Templum in Jerosolymis exstruitur a Zorobabel, consummaturque opus anno quarto. Remissio quidem captivitatis Judaeorum, et venia Templi aedificandi sub Cyro exordium habuit: consummatur vero Templum sub Dario; quia vicinae gentes assiduis incursionibus aedificationem impedierant.

*Olymp.*

Colligitur omne tempus captivitatis Judaeorum annis 70 qui secundum quosdam, a tertio anno Joachim usque ad vicesimum annum Cyri regis Persarum computantur. Porro secundum alios, a Josia Judaeorum regis anno 13, sub quo Jeremias prophetare coepit, usque ad primum annum supradicti Cyri regis. Desolationis vero Templi sub Dario rege complentur anni 70. Clemens quoque his congruit in primo Stromate ita scribens: *Et perseveravit captivitas annis 70 usque ad secundum annum Darii filii Hystaspis, qui Persis, Assyriis, et Aegypto regnavit: sub quo Aggaeus et Zacharias, et unus de duodecim, qui vocatur Angelus (Malachias), prophetaverunt, sacerdotioque functus est Jesus filius Josedech.* Haec supradictus vir. Quod autem septuagesimus annus desolationis Templi altero anno Darii fuerit expletus, domesticus testis est Zacharias propheta, secundo anno Darii dicens: *Domine omnipotens, quousque non misereberis Jerusalem et civitatibus Juda, quas despexisti?. Iste 70 annus est.*

## *Persarum.* (2 to 9)

2 Olymp. 65, in qua Persarum regis Darii filii Hystaspis fuit annus secundus.

6 Templum Jerosolymis consummatur, prophetantibus apud Judaeos Aggaeo et Zacharia.

## *Macedonum.* (34 to 41)

34 Armodius et Aristogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt, et Leaena meretrix amica eorum, cum tormentis cogeretur, ut socios prodere . . linguam suam mordicus amputavit.

## *Romanor.* (28 to 35)

## *Ann. ab Abr.* (1500)

## *Olymp.* (67 to 69)

*Persarum.* (10 to 18)

*Macedon.* (42 to 50)

*Macedon. X, ALEXANDER, an.* 43.

*Romanorum.*

## INITIUM CONSULUM.

Pulsis ab Urbe regibus, vix usque ad XV lapidem Roma tenebat imperium. Romanorum reges septem a Romulo usque ad Tarquinium Superbum imperaverunt annis 240, sive, ut quibusdam placet, 243.

Romae post exactos Reges primum consules duo a Bruto esse coeperunt; deinde tribuni plebis ac dictatores, et rursum consules rempublicam obtinuerunt per annos ferme 464 usque ad Julium Caesarem, qui primus singulare arripuit imperium olympiade 183.

Decimo septimo mare obtinuerunt Aeginetae annis 20 usque ad transitum Xerxis.

Censu Romae agitato, inventa sunt hominum 120 millia. Nono anno post exactos reges nova dignitas est creata, dictatura scilicet, et magister equitum, qui dictatori obsequeretur. Dictator primus Largius, magister equitum Spurius Cassius fuit.

*Ann. ab Abr.* (1510)

*Olymp.* (70 to 73)

*Persarum.* (19 to 35)

*Macedon.* (1 to 17)

*Romanorum.*

Valerius Bruti consulis collega adeo pauper mortuus est, ut sumptu publico sepeliretur.

Hellanicus historiographus, et Democritus philosophus, et Heraclitus cognomento Tenebrosus, et Anaxagoras physicus clari habentur.

Pythagoras philosophus moritur.

Volsci Coriolos perdiderunt.

Aeschylus tragoediarum scriptor agnoscitur.

Latini contra Romanos rebellarunt.

Romae populus a patribus facta seditione discessit.

Martius, qui Coriolos ceperat, interventu matris Veturiae et uxoris Volumniae ab oppugnatione Urbis removit exercitum.

Bellum quod in Marathone gestum est, et ea quae de Miltiade scribuntur et Aristide, qui cognominabatur Justus.

Panyasis poeta habetur illustris.

Trecenti nobiles Fabiae familiae a Veientibus caesi.

Cum in Algido monte Romani milites obsiderentur, a dictatore Quintio Cincinnato liberati sunt.

Aegyptus recessit a Dario.

Gelo obtinuit Syracusas.

*Ann. ab Abr.* (1520, 1530)

*Olymp.* (74 to 75)

*Persarum.* (36)

*Persar. V, XERXES, filius Darii, an.* 20. (1 to 6)

*Macedon.* (18 to 24)

*Romanorum.*

Pindarus et Simonides lyrici poetae insignes habentur.

Romae virgo Vestalis Pompilia deprehensa in stupro, viva defossa est.

Xerxes Aegyptum capit.

Aristides cum ignominia ejicitur.

Choerilus et Phrynicus illustres habentur.

Diagoras agnoscitur, et sectatores ejus physici philosophi.

Xerxes pontem in Hellespontiaco mari fecit

Xerxes cum Athenas venisset, incendit urbem sub principe Callia.

Bellum quod in Thermopylis gestum est, et apud Salaminam navale certamen.

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (76 to 78)

## *Persarum.* (7 to 20)

14 Principium LXXI Jubilaei secundum Hebraeos.

## *Medorum.* (25 to 38)

Athenienses Piraeum muro vallant.

Hieron Syracusis regnat.

Aeschylus tragoediarum scriptor agnoscitur.

Bellum quod in Plateis, et in Mycale.

Hieron post Gelonem Syracusis tyrannidem exercet.

Pindarus musicus clarus habetur.

Themistocles in Persas fugit.

Sophocles tragoediarum scriptor primum ingenii sui opera publicavit.

Romae virgo Vestalis Sunia deprehensa in stupro, viva defossa est.

Sophocles et Euripides clari habentur.

Herodotus historiarum scriptor agnoscitur.

Bacchylides et Diagoras Athenis plurimo sermone celebrantur.

Zeuxis pictor agnoscitur, ex cujus alii imaginibus, quas plurimas invitatus fecerat, lavacrum Byzantinorum appellatum arbitrantur.

Themistocles, hausto tauri sanguine, moritur.

## *Ann. ab Abr.* (1540, 1550)

## *Olymp.* (79)

## *Persar. VI, ARTABANUS, menses 7, qui menses in ordine annus reputantur.* (1)

## *Post quem ARTAXERXES VII, qui Longimanus cognominabatur, an.* 40. (1 to 3)

1 Ea quae de Hester, et Mardochaeo scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege gesta, quod ego non puto; numquam enim Ezras de Hester siluisset, qui scribit hoc tempore Ezram et Neemiam reversos ex Babylone, et ea deinceps consecuta, quae ab his gesta referuntur .

## *Macedon.* (39 to 42)

Socrates nascitur.

39 Lapis  in Aegon fluvium de coelo ruit.

42 Sicilia a populo  regebatur.

*Romanorum.*

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (80 to 82)

*Persarum.* (4 to 14)

*Macedon.* (43)

*PERDICAS, XI, an.* 28. (1 to 10)

Cimon juxta Eurimedontem Persas navali pedestrique certamine superrat: et Medicum bellum conquiescit.

Solis facta defectio.

Anaxagoras moritur.

Heraclitus clarus habetur.

Ezras sacerdos apud Hebraeos insignis agnoscitur, cujus aetate Pontifex Maximus habitus est Heliasib, filius Joachim, filii Jesu, filii Josedech. Fuit autem Ezras eruditissimus Legis divinae, et clarus omnium Judaeorum magister, qui de Captivitate regressi fuerant in Judaeam: *Affirmaturque divinas Scripturas memoriter condidisse, et ut Samaritanis non miscerentur, litteras Judaicas commutasse.*

Empedocles et Parmenides physici philosophi notissimi habentur. Zeno et Heraclitus Tenebrosus agnoscitur.

Pherecydes secundus historiarum scriptor agnoscitur.

Cratinus et Plato comoediarum scriptores clari habentur.

Aristarchus tragoediographus agnoscitur.

Romani per legatos ab Atheniensibus jura petierunt, ex quibus duodecim tabulae conscriptae.

Romae clarior Agon centenarius primus actus.

Trecentesimo secundo anno ab Urbe condita Decemviri creati, et post annum ejecti sunt propter Appium Claudium,

qui Virginii cujusdam filiam contra Latinos in Algido militantis voluit auferre.

Crates Comicus, et Telesilla ac Bacchylides Lyricus, clari habentur: Praxilla quoque et Cleobulina sunt celebres.

## *Ann. ab Abr.* (1560)

## *Olymp.* (83 to 85)

## *Persarum.* (15 to 27)

## *Macedon.* (11 to 23)

## *Romanorum.*

Templum Junonis, quod Argis fuerat, incensum.

Abaris Hyperboreanus Ariolus agnoscitur.

Tribuni plebis et Aediles Romae facti, Consulibus ejectis.

Athenienses  et Lacedaemonii foedus XXX annorum ineunt.

Neemias Hebraeus, minister vinarius Artaxerxis regis , concedente sibi domino suo, 20 ejus anno de Babylone venit in Judaeam, et 32 anno muros, urbemque restituit. Scribit Ezras opus fuisse completum sub pontifice Joade filio Joasib, cui successit Joannes filius suus, qui temporibus Alexandri Macedonis fuit.

Huc usque Hebraeorum divinae Scripturae annales temporum continent: ea vero quae post haec apud eos gesta sunt, exhibemus de libro Machabaeorum, et Josephi, et Africani scriptis, qui deinceps universam historiam usque ad Romana tempora persecuti sunt.

Herodotus cum Athenis libros suos in concilio legisset, honoratus est.

Melissus physicus agnoscitur.

Euripides tragoediarum scriptor clarus habetur, et Protagoras sophista, cujus libros decreto publico Athenienses exusserunt.

Romae rursus  Consules creati.

Phidias  eburneam Minervam facit.

Fidennates contra Romanos rebellant.

23 Theaetetus  mathematicus agnoscitur.

*Olymp*. (86 to 88)

*Persarum*. (28 to 39)

*Macedon*. (24 to 28)

*Macedon. XII, ARCHELAUS an*. 24. (1 to 7)

*Romanorum*.

Aristophanes clarus habetur, et Sophocles poeta tragicus.

Gens Campanorum in Italia constituta.

Democritus Abderites, et Empedocles, et Hippocrates medicus, Gorgias, Hippiasque, et Prodicus, et Zeno, et Parmenides philosophi insignes habentur.

Socrates, qui scholam congregavit, plurimo sermone celebratur.

Neemiam, qui muros Jerusalem construxit, consummasse opus 32 anno Artaxerxis regis Persarum, Ezras memorat. Si quis ab hoc tempore LXX hebdomadas a Daniele scriptas numeret, quae faciunt annos 490, reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo obsideri Jerusalem coepta, secundo postea Vespasiani anno capitur.

Initium belli Peloponnesiaci.

Bacchylides carminum scriptor agnoscitur.

Athenienses pestilentia laborant.

Thucydides agnoscitur.

Pericles moritur.

Eupolis et Aristophanes scriptores comoediarum agnoscuntur.

Ex Aetna monte ignis erupit.

Terraemotu apud Locros, scissa Atalante, civitas facta est insula.

*Ann. ab Abr.* (1580, 1590)

*Olymp.* (89 to 92)

*Persarum.* (40)

*Persarum VIII, SECUNDUS XERXES, menses 2. Post quem SOGDIANUS, IX, menses 7. Cui succedit DARIUS, X, cognomento Nothus, an.* 19. (1 to 16)

*Macedon.* (8 to 24)

*Aegyptiorum.*

Aegyptus a Persis recessit, et rursum Aegyptiorum renascitur *Dynastia XXVIII. Et regnavit AMARTHEUS, primus Saites ann.* 6. (1 to 5)

*Romanorum.*

Plato nascitur.

Lacedaemonii et Athenienses foedus percutiunt.

Eudoxus Gnidius clarus habetur.

Lacedaemonii ver sacrum destinantes, Heracleam urbem condunt.

Alcibiades profugus abiit ad Tisaphernem.

Clades quae Atheniensibus accidit in Sicilia.

Euboea ab Atheniensium societate discedit.

Euripides apud Archelaum, et Sophocles Athenis moritur.

*Ann. ab Abr.* (1600)

*Olymp.* (93 to 94)

*Persarum.* (17 to 19)

*Persarum XI, ARTAXERXES, qui cognominatus est Mnemon, Darii et Parysatidis filius, an.* 40 (1 to 4)

*Macedon. ORESTES XIII, an.* 3. (1 to 3)

*Macedon. XIV, ARCHELAUS, an.* 4. (1 to 4)

*Macedonum XV, AMYNTAS, an.* 1.

*Aegyptiorum.* (6)

*Dynastia XXIX Aegypt.*
*Mendesiorum. NEPHERITES, an.* 6. (1 to 6)

*Post quem ACHORIS, ann. 12, dynastia XXIX Aegyptiorum.*

*Romanorum.*

Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet.

Sub hoc rege mihi videtur historia, quae in Hester libro continetur, expleta: ipse quippe est, qui ab Hebraeis Assuerus, et a LXX Interpretibus Artaxerxes vocatur.

Dionysius Syracusis tyrannidem exercet.

*Ann. ab Abr.* (1610)

*Olymp.* (95 to 96)

*Persarum.* (5 to 12)

*Macedon.* (1)

*Macedonum XVI, PAUSANIAS, an.* 1. (1)

*Post quem AMYNTAS, XVII, ann.* 6. (1 to 6)

*Post quem ARGEUS, XVIII, ann.* 2.

*Aegyptiorum*. (1 to 8)

*Romanorum.*

Athenienses sustinent tyrannidem.

Isocrates rhetor agnoscitur.

Democritus moritur.

Alcibiadem Pharnabazus interficit.

Cyri regis ascensus, de quo scribit Xenophon.

Tyranni Athenis oppressi.

Athenienses XXIV litteris uti coeperunt, cum antea XVI tantum litteras haberent.

Xenophon filius Grylli, et Ctesias clari habentur.

Socrates venenum bibit.

Templum rursus Ephesi incensum.

Socratici clari habentur.

Diogenes Cynicus agnoscitur.

Speusippus insignis habetur.

Dionysius in tyrannide perseverat.

*Ann. ab Abr.* (1620)

*Olymp.* (97 to 98)

*Persarum.* (13 to 19)

*Macedon.* (1 to 2)

*Post quem rursum AMYNTAS, XIX, an* 18. (1 to 5)

*Aegyptiorum.* (9 to 12)

*Aegypti PSAMUTHES, an.* 1 . (1)

*Post quem NEPHERITES, menses* 4. (1)

*Et post eum NECTANEBUS,*
*an.* 18. *Aegyptiorum XXX, dynastia,*
*Sevenitarum.* (1)

*Romanorum.*

Carthaginensium bellum famosum.

Eudoxus astrologus agnoscitur.

Galli Senones Romam invaserunt, excepto Capitolio.

Plato philosophus agnoscitur.

Tribuni militares pro consulibus esse coeperunt.

Evagoras in furorem versus cum regnaret Cypri.

*Ann. ab Abr.* (1630)

*Olymp.* (99 to 103)

*Persarum.* (20 to 38)

*Macedon.* (6 to 18)

*Macedonum IX, ALEXANDER, an.* 1. (1)

*Post quem PTOLEMAEUS ALORITES, XXI, an.* 4. (1 to 4)

*PERDICCA, XXII, ann.* 6. (1)

*Aegyptiorum.* (2 to 18)

*Aegypti THEO, annis* 2. (1 to 2)

*Romanorum.*

Magno terrae motu Helice et Bura Peloponnesi urbes absorptae sunt.

Praenestini a Romanis victi apud flumen Alliam per Quinctium Cincinnatum.

Athenienses principes Graeciae facti.

Isocrates rhetor agnoscitur.

Plato et Xenophon, necnon et alii Socratici clari habentur.

Theo  rex Aegypti fugit in Arabiam.

*Ann. ab Abr.* (1640)

*Olymp.* (104)

*Persarum.* (39 to 40)

*Persarum XII. ARTAXERXES, qui et OCHUS, an.* 26. (1 to 5)

*Macedon.* (2 to 6)

*Macedon. XXIII, PHILIPPUS, an. 26.* (1 to 2)

## *Aegyptiorum.*

## *Aegyptiorum NECTANEBUS, an.* 18. (1 to 7)

## *Romanorum.*

Dionysius rex Siciliae 19 anno moritur, post quem junior Dionysius regnum invadit.

Aristoteles XVIII aetatis gerens annum, Platonis auditor est.

Alexander Pheraeus agnoscitur.

Camillus Gallos, qui bollum Romanis intulerant, superat.

## *Ann. ab Abr.* (1650)

## *Olymp.* (105 to 107)

## *Persarum.* (6 to 16)

## *Macedon.* (3 to 13)

## *Aegyptiorum.* (8 to 18)

Aegyptiorum regnum destructum est.

## *Romanorum.*

Demosthenes orator agnoscitur.

Aeschines orator agnoscebatur.

Ochus Apodasmo Judaeorum capta, in Hyrcaniam accolas translatos juxta mare Caspium collocavit.

Dionysius Sicilia pellitur.

Alexander Philippi et Olympiadis filius nascitur.

Dion Syracusis interimitur.

Hipparinus Dionysii filius Syracusis tyrannidem exercet.

Erinna poetria agnoscitur.

Ochus Aegyptum tenuit, Nectanebo in Aethiopiam pulso, in quo Aegyptiorum regnum destructum est.

*Ann. ab Abr*. (1660)

*Olymp*. (108 to 111)

*Persarum*. (17 to 26)

*Persarum XIII, ARSES* , *Ochi filius, an*. 4. (1 to 4)

*Post quem DARIUS, XIV, Arsami filius, an*. 6. (1)

*Macedon*. (14 to 26)

## *Macedon. XXIV, ALEXANDER, Philippi filius, an. 12, menses* 6 [Al. 7]. (1 to 2)

## *Romanorum.*

Huc usque Manetho.

Ochus Sidonem subvertit, et Aegyptum suo junxit imperio.

Demosthenes Orator omnium fama celebratur.

Romani Gallos superant.

Dionysius Corinthum sub foedere navigavit.

Plato moritur, post quem Academiam Speusippus tenuit.

Romani cum Samnites duobus praeliis cecidissent, universos confines, quia a sua societate discesserant, in ditionem propriam redigunt.

Dionysius Corintho expulsus.

Descriptione Romae facta, inventa sunt civium CLX millia.

Judaeorum pontifex maximus Jaddus clarus habetur.

Speusippus moritur, cui successit Xenocrates.

Manasses frater Jaddi pontificis Judaeorum templum in montem Garizin construxit.

## *Ann. ab Abr.* (1670, 1680)

## *Olymp.* (112 to 113)

## *Persarum.* (2 to 6)

## *Macedon.* (3 to 10)

## *Romanorum.*

Alexander adversus Illyricos et Thracas feliciter dimicans, subversis Thebis, in Persas arma corripuit, et apud Granicum flumen, regiis ducibus oppressis, urbem Sardeis capit.

Romanor. consul Manlius Torquatus filium suum, quod contra imperium in hostem pugnaverat, virgis caesum securi percussit.

Alexander, capta Tyro, Judaeam invadit, a qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, et pontificem templi honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interficiunt: ob quae ab Aegypto reversus Alexander Magnus eos suppliciis affecit, et urbem eorum captam Macedonibus ad inhabitandum tradidit.

Alexandria in Aegypto ab Alexandro condita, septimo anno regni ejus: quo tempore etiam Latini a Romanis perdomiti sunt.

Alexander obtinuit Babylonem, interfecto Dario, in quo Persarum regnum destructum est.

Alexander regnum Asiae anno regni sui 7 occupat, et tenet omnia annis 12.

Anaximenes, et Epicurus clari habentur.

Alexander Hyrcanos et Mardos capit, revertensque in Hammone Paraetonium condidit.

Alexander Aornim petram capit, et Indum amnem transgreditur.

Bellum Alexandri in India adversum Porum, et Taxillen.

*Ann. ab Abr.* (1690)

*Olymp.* (114)

*Aegypto primus regnavit PTOLEMAEUS Lagi filius, an.* 40. (1 to 4)

*Macedon.* (11 to 12)

*Macedon. XXV, PHILIPPUS, qui et Aridaeus, frater Alexandri, an.* 7. (1 to 4)

*Romanorum.*

Harpalus fugit in Atticam.

Romani Samnites subigunt, et colonias deducunt.

Alexander 33 aetatis suae anno moritur in Babylone, post quem translato in multos imperio, diversi regnaverunt.

Lydiam, et Thraciam, et Hellespontum Lysimachus tenuit.

Appius Claudius Caecus Romae clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, et viam Appiam stravit.

Macedonum duces in seditionem versi.

Agathocles  Syracusis tyrannidem exercet.

Lamiacum bellum motum.

Perdicca adversus Aegyptios dimicat.

Ptolemaeus Lagi filius Jerosolymis et Judaea in ditionem suam dolo redactis, plurimos captivorum in Aegyptum transtulit.

Judaeorum pontifex maximus Onias Jaddi filius clarus habetur.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (115 to 116)

*Alexandr.* (5 to 12)

*Macedon.* (5 to 7)

*Macedon. XXVI, CASSANDER, an.* 19. (1 to 5)

## *Romanorum.*

Menander primam fabulam cognomento *Orgen* docens superat.

Theophrastus philosophus agnoscitur, qui a divinitate loquendi, ut ait Cicero, nomen accepit.

Theodorus Atheus agnoscitur.

Demetrius Phalereus habetur illustris.

Romani Samnites diutissime contra praeliantes , ad extremum in servitutem sui redigunt.

Menedemus et Speusippus philosophi insignes habentur.

Machabaeorum Hebraea historia hic Graecorum supputat regnum. Verum hi libri inter divinas Scripturas non recipiuntur.

*In Asia primus regnavit ANTIGONUS, an.* 18. (1 to 7)

*Ann. ab Abr.* (1700)

*Olymp.* (117 to 119)

*Alexandr.* (13 to 22)

*Macedon.* (6 to 15)

*Romanorum.*

Romani Marsos, Umbros, et Pelignos superant.

Romani colonias deducunt.

Lysimachia in Thracia condita.

Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant.

Cyprum Ptolemaeus invasit.

Theodorus philosophus Atheus agnoscitur.

Demetrius Phalereus ad Ptolemaeum veniens impetravit, ut Atheniensibus Democratia redderetur, id est, *populi potestas*.

Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleucim, Apamiam, Edessam, Beroeam, et Pellam urbes condidit, quarum Antiochiam XII anno regni sui exstruxit.

*Asiae*. (8 to 17)

*Primus SELEUCUS NICANOR Syriae et Babyloniae, et superiorum locorum, regnavit annis* 32. (1 to 10)

*Ann. ab Abr*. (1710)

*Olymp*. (120 to 122)

*Alexandr*. (23 to 34)

*Macedon*. (16 to 19)

*Macedon. XXVII, ANTIGONUS et ALEXANDER, filii Cassandri, an*. 4. (1 to 4)

*Post quos DEMETRIUS, XXVIII, an*. 6. (1 to 4)

*Romanorum.*

Seleucus Babyloniam obtinuit.

Judaeorum pontifex maximus Simon Oniae filius clarus habetur, cui cognomentum Justo fuit propter sollicitam in Deum religionem, et in cives suos pronam clementiam.

Demetrius rex Asiae, cognomento Poliorcetes, Samaritanorum urbem vastat, quam Perdicca construxerat.

Censu Romae agitato, inventa sunt civium Romanorum CCLXX millia.

Legati Alexandrini a Ptolemaeo primum Romam missi amicitias impetraverunt.

Menander comicus moritur.

Romani Gallos, Tyrrhenosque superant: et Sabinorum terra sorte dividitur.

*Asiae.* (18)

*Asiae DEMETRIUS II, qui et POLIORCETES, annis* 17. (1 to 11)

*Syriae.* (11 to 22)

*Ann ab Abr.* (1720)

*Olymp.* (123 to 124)

*Alexandr*. (35 to 40)

*Aegypti II, PTOLEMAEUS Philadelphus, an.* 38. (1 to 2)

*Macedon*. (5 to 6)

*PYRRHUS, XXIX, menses 7. Post quem LYSIMACHUS, XXX, an*. (1 to 5)

*PTOLEMAEUS, XXXI, cognomento CERAUNUS, anno 1. MELEAGRUS, XXXII, mens. 2. ANTIPATER, XXXIII, dies 45. Post quem SOSTHENES, XXXIV, an*. 2.

*Romanorum.*

Seleucus in eas urbes, quas exstruxerat, Judaeos transfert, jus eis civium et municipalem ordinem cum Graecis aequali honore concedens.

Judaeorum pontifex Eleazarus frater Simonis suscepit templi ministerium, filio Simonis Onia parvo admodum derelicto.

Serapis ingressus est Alexandriam.

Conditae a Romanis Ariminum et Beneventum.

Seleucus in Cilicia, capto Demetrio, Syriae et Asiae pariter imperavit.

Sostratus Gnidius Pharum in Alexandria construxit.

Romani Crotonem capiunt.

## *Asiae.* (12 to 17)

## *Syriae.* (23 to 30)

28 Demetrius semetipsum Seleuco tradit.

## *Ann. ab Abr.* (1730)

*Olymp*. (125 to 127)

*Alexandr*. (3 to 13)

*Macedon*. (1 to 2)

*ANTIGONUS GONATAS, XXXV, annis* 36. (1 to 8)

*Romanorum*.

Ptolemaeus Philadelphus Judaeos, qui in Aegypto erant, liberos esse permisit: et vasa Eleazaro Pontifici Jerosolymarum votiva transmittens, divinas Scripturas in vocem Graecam ex Hebraea lingua per LXX Interpretes transferri curavit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litteraturae comparaverat.

Antigonus cognomento Gonatas Lacedaemonem obtinuit.

Una virginum Romanarum in corruptione deprehensa percutitur.

Milo Romanis Tarentum tradidit.

Romani Calabriam, Messanamque tenuerunt.

Aratus agnoscitur.

*Syriae.* (31 to 32)

*Syriae et Asiae post Seleucum regnavit ANTIOCHUS SOTER, II annis* 19. (1 to 9)

*Ann. ab Abr.* (1740)

*Olymp.* (128 to 130)

*Alexandr.* (14 to 27)

## *Macedon.* (9 to 22)

## *Romanorum.*

Argenteus nummus primum in Urbe figuratus.

Polemon philosophus moritur. Post quem Arcesilas et Crates clari habentur.

Romani colonias deduxerunt, multaeque urbes in Sicilia eis junctae.

Romae virgo Vestalis in stupro detecta, laqueo vitam explet.

Zeno Stoicus moritur, post quem Cleanthes cognoscitur.

Romani Syracusas capiunt.

Nicomedes rex Bithyniae Astacum urbem amplians, Nicomediam nuncupavit.

Romani Carthaginenses navali certamine superant, et centum Libyae urbes capiunt.

Erasistratus medicus agnoscitur.

## *Syriae.* (10 to 19)

*Syriae ANTIOCHUS, III, qui vocabatur Theos,*
*an.* 15. (1 to 4)

*Ann. ab Abr.* (1750)

*Olymp.* (131 to 134)

*Alexandr.* (28 to 38)

*Aegypti III, PTOLEMAEUS EVERGETES,*
*annis* 26. (1 to 3)

*Macedon.* (23 to 36)

## *Romanorum.*

Antigonus Atheniensibus reddit libertatem.

Judaeorum pontificatum post Eleazarum avunculus ejus Manasses accepit.

Carthaginenses XC Romanorum naves in Sicilia capiunt, Metello consule in fugam verso.

Parthis a Macedonum imperio recedentibus, primus regnavit ARSACES, unde Arsacidae dicti.

Judaeorum pontifex Onias, Simonis Justi filius, clarus habetur, qui consueta regi Ptolemaeo tributa non reddens, ad iram eum compulit. Verum Josephus, inter suos nobilis, legatus a Judaeis ad Ptolemaeum missus, cum familiaritatem regis ob plurima in eum meruisset obsequia, dux Judaeae et regionum finitimarum constituitur.

Censu Romae agitato, inventa sunt hominum CLX millia.

## *Syriae.* (5 to 15)

## *Syriae IV, SELEUCUS CALLINICUS,* annis 20. (1 to 3)

*Ann. ab Abr.* (1760, 1770)

*Olymp.* (135 to 138)

*Alexandr.* (4 to 21)

*Macedonum XXXVI, DEMETRIUS, ann.* 10. (1 to 10)

*ANTIGONUS, XXXVII, annis* 15. (1 to 8)

*Romanorum.*

Romae templum Vestae incensum.

Q. Ennius poeta Tarenti nascitur, qui a Catone quaestore Romam translatus, habitavit in monte Aventino, parco admodum sumptu contentus, et unius ancillae ministerio.

Virgo Vestalis Romae a servo corrupta, propria manu se interemit.

Judaeorum pontifex maximus Simon, Oniae filius, clarus habetur, sub quo Jesus filius Sirach Sapientiae librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.

XL ferme millia Gallorum a Romanis caesa.

*Syriae.* (4 to 20)

*SELEUCUS. CERAUNUS, V, annis* 3. (1)

*Ann. ab Abr.* (1780, 1790)

*Olymp.* (139 to 141)

## *Alexandr.* (22 to 26)

## *Aegypti V, PTOLEMAEUS PHILOPATOR, annis* 17. (1 to 5)

## *Macedon.* (9 to 15)

## *Macedonum XXXVIII, PHILIPPUS, annis* 42. (1 to 3)

## *Romanorum.*

Caria et Rhodos ita terraemotu concussae sunt, ut Colossus magnus rueret.

Ea quae in tertio Machabaeorum libro scripta sunt, sub hoc Ptolemaeo gesta referuntur.

Victi Judaei , et LX millia armatorum ex numero eorum caesa sunt.

Romae virgines Vestae ob stupri reatum terra obrutae.

*Syriae*. (2 to 3)

*ANTIOCHUS MAGNUS, VI, annis* 36. (1 to 8)

*Ann. ab Abr*. (1800)

*Olymp*. (142 to 145)

*Alexandr*. (6 to 17)

*Aegypti V, PTOLEMAEUS EPIPHANES, annis* 24. (1 to 4)

## *Macedon.* (4 to 19)

## *Romanorum.*

Eratosthenes philosophus agnoscitur.

Romani, Marcello consule, Syracusas capiunt.

Romani subjugant Capuam et Siciliam.

Antiochus rex Syriae, victo Philopatore Ptolemaeo, Judaeam sibi sociat.

Levinus cum rege Asiae Attalo amicitiam facit.

Judaeorum pontifex maximus Onias, filius Simonis, insignis habetur , ad quem Lacedaemoniorum rex Arrius legatos mittit.

Scipio Hiberiae multas urbes recipit.

Naevius comicus Uticae moritur, pulsus Roma, factione nobilium, ac praecipue Metelli.

Ptolemaeus Epiphanes, Scopa principe militiae destinato, Judaeam capit, et plurimas Syriae civitates.

Plautus ex Umbria Sarsinas Romae moritur, qui propter annonae difficultatem ad molas manuarias pistori se locaverat; ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas, et vendere sollicitius consueverat.

*Syriae*. (9 to 24)

*Ann. ab Abr*. (1810)

*Olymp*. (146 to 148)

*Alexandr*. (5 to 16)

*Macedon*. (20 to 31)

*Romanorum*.

Juxta Theram apparuit insula, quae vocatur Hiera.

Antiochus, Scopa superato, Syriae urbes recepit, et Judaeis voluntate conjungitur.

Romani Graecos liberos esse jusserunt: et universa Hiberia imperata fecit.

Antiochus Judaeorum erga se cognita voluntate, magnis eos muneribus donat, et per epistolas crebris laudibus prosequitur.

Post praelium, quo in Thermopylis est victus Antiochus, hoc inter Romanos et eum convenit, ut mille talenta per annos singulos vectigalis nomine solveret.

Romani multas colonias deduxerunt.

Antiochus in amicitiam Ptolemaei regressus pacem cum eo fecit, et Cleopatra filia sua uxore ei tradita, dotis nomine Syriam, Phoenicen, Samariam, Judaeamque concedit.

Eumenes, frater regis Attali, qui Eumeniam in Phrygia condidit, clarus habetur.

Secundus liber Machabaeorum apud Judaeos hujus temporis gesta continet.

## *Syriae.*(25 to 36)

## *Ann. ab Abr.* (1820)

## *Olymp.* (149 to 150)

## *Alexandr.* (17 to 24)

## *Aegypti VI, PTOLEMAEUS PHILOMETOR, annis* 35. (1)

## *Macedon.* (32 to 40)

## *Romanorum.*

L. Livius tragoediarum scriptor clarus habetur, qui ob ingenii meritum a Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate donatus est.

Cum ab Antiocho per legatos Hannibal reposceretur, cui se a Scipione victus sociaverat, ad Prusiam regem Bithyniae transfugit; quem cum rursus per Flaminium etiam ab eo Senatus repeteret, et tradendus esset , venenum bibit, et apud Libyssan Bithyniae sepultus est.

Simon praepositus templi Jerosolymorum, ad Apollonium Phoenicis ducem confugiens, multis ei muneribus repromissis, sacerdotium sibi vindicare coepit: quo Seleucus audito, Heliodorum mittit ad negotium providendum: qui cum Judaeam venisset, inique judicans, et multa perperam gerens, divinis adversus se signis deterretur, et ad Seleucum revertitur. Onias autem sacerdos curaverat, ut Simon profugus fieret.

Hyrcanus Josephi ducis Judaeae filius, cum ad Ptolemaeum perrexisset, honorifice ab eo susceptus est. Verum fratres ejus seditione contra eum mota, magnarum calamitatum Judaeae genti causa exstiterunt.

Statius Caecilius comoediarum scriptor clarus habetur: natione Insuber Gallus et Ennii primum contubernalis: quidam Mediolanensem ferunt. Mortuus est anno post mortem Ennii, et juxta Janiculum sepultus.

## *SELEUCUS, VII, qui et PHILOPATOR, an.* 12.
## (1 to 8)

## *Ann. ab Abr.* (1830)

## *Olymp.*

*Alexandr.*

*Macedon.*

*Syriae.*

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (151 to 153)

*Alexandr.* (2 to 12)

*Macedon.* (41 to 42)

## *Macedonum XXXIX, PERSES, annis* 10. (1 to 9)

## *Romanorum.*

Aristobulus , natione Judaeus, Peripateticus philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemaeum explanationum in Mosen Commentarios scribit.

Antiochus Epiphanes cum de regione Ptolemaeorum, quam subito invaserat, Senatus praecepto recessisset, in Judaeam venit, ibique Jesu, qui et Jason, fratri Oniae pontificatum tradidit; quo deinde expulso, Oniam cognomento Menelaum successorem ei dedit. Itaque ob sacerdotii dignitatem orta seditione inter principes, ingentium miseriarum semina pullulaverunt.

Antiochus Judaeorum legem impugnat: primum quidem omnem eorum provinciam ad idololatriam compellens, qui parere noluerunt, enecat: postea vero Jerosolymam ascendens, templum et vasa Dei quae ministerio fuerant consecrata, vastat: in templo, Jovis Olympii simulacrum ponit, in Samaria super verticem montis Garizin Jovis Peregrini delubrum aedificat, ipsis Samaritanis ut id faceret precantibus. Verum hoc in tempore Matathias quidam ex sacerdotibus, filius Assamonei, vico Modin, adversum Antiochi duces arma corripiens, fultus etiam auxilio filiorum, leges patrias vindicavit olympiade 153.

*Syriae*. (10 to 12)

*ANTIOCHUS EPIPHANES, VIII, ann*. 11. (1 to 8)

*Ann ab Abr*. (1840)

*Olymp*. (154)

*Alexandr*. (13 to 17)

*Macedon*. (10)

10 Macedonum regnum defecit.

## *Romanorum.*

Ennius poeta septuagenario major articulari morbo periit, sepultusque est in Scipionis monumento via Appia intra primum ab Urbe milliarium. Quidam ossa ejus Rudiam ex Janiculo translata affirmat.

Romani, superato Perse, Macedonas, Illyricos, et Galatas liberos esse jusserunt.

Judaeorum dux Judas, qui et Machabaeus, filius Matathiae, Antiochi duces de Judaea expellens, et templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis civibus reddidit .

## *Syriae.* (9 to 11)

## *ANTIOCHUS EUPATOR, IX, an.* 2. (1 to 2)

## *Ann. ab Abr.* (1850)

## *Olymp.* (155)

*Alexandr.* (18 to 23)

*Primus Judaeorum duae JUDAS MACHABAEUS, an.* 3. (1 to 3)

*Judaeorum dux JONATHAS. II, an.* 19. (1)

## *Romanorum.*

Menelao pontifice Judaeorum a juniore Antiocho occiso, qui prius Judaeam Epiphani Antiocho prodiderat, Alcimus alienus a genere sacerdotali, ambitione pontificatum invadit: ob quod Onias filius pontificis Oniae Aegyptum transmigrans, in Heliopolitano pago civitatem nominis sui condidit, templo ad similitudinem templi patrii constructo. Alcimus vero adversus Judam Machabaeum inimicitias gerens, post non multum temporis, Dei ira percussus interiit; ac sic cum omnium Judaeorum favore, Judae Machabaeo sacerdotium decernitur, qui dignitate suscepta, legatos Romam dirigit: decrevitque senatus Judaeos amicos et auxiliatores Romanorum habendos.

P. Terentius Carthaginensis comoediarum scriptor, ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur, qui primam Andriam, antequam aedilibus venderet, Caecilio multum se mirari legit.

Judas adversum Demetrii duces inito praelio occiditur, tribus annis pontificatu gesto.

*DEMETRIUS SOTER, X, an.* 12. (1 to 6)

*Ann. ab Abr.* (1860)

*Olymp.* (156 to 158)

*Alexandr.* (24 to 34)

*Judaeorum.* (2 to 12)

Aristarchus grammaticus agnoscitur.

Judaeorum dux Jonathas frater Judae, Bachide duce Demetrii Judaea expulso, pontificatum suscepit.

Pacuvius Brundusinus tragoediarum scriptor clarus habetur, Ennii poetae ex filia nepos, vixitque Romae quoad picturam exercuit, ac fabulas venditavit: deinde Tarentum transgressus, prope nonagenarius diem obiit.

Pseudophilippus regnat in Macedonia anno 1.

Alexander Antiochi, qui Epiphanes cognominatus est, filius, Syriae et Asiae imperans, Jonathan corona et multis insignibus donis prosequitur.

Romani, interfecto Pseudophilippo, Macedonas tributarios faciunt.

Samaritani et Judaei Alexandriae Ptolemaeo judicante contendunt de honoribus ex utraque parte templo suo deferendis, et superant Judaei.

Lucilius poeta nascitur.

Descriptione Romae facta, inventa sunt hominum CCCXXII millia.

Oppius Gallos capit: et Carthago in ditionem Romanorum per Scipionem redigitur, habens a conditione sui annos 668; ut vero alii affirmant, 748.

*Syriae* (7 to 12)

*ALEXANDER, XI, an. 10, mens*. 7. (1 to 5)

*Ann. ab Abr*. (1870)

*Olymp*. (159 to 160)

*Alexandr*. (35)

*Aegypti VII, PTOLEMAEUS EVERGETES, annis* 25. (1 to 6)

*Judaeorum*. (13 to 19)

*Romanorum.*

Jonathas dux Judaeorum pariter et pontifex cum Romanis et Spartiatis amicitias facit.

Alexandro filio Balae, regi Syriae, Ptolemaeus filiam suam tradidit uxorem.

Scipio Numantinos subvertit. Brutus Hiberiam usque ad Oceanum subigit.

L. Accius tragoediarum scriptor clarus habetur, natus Mansino et Serrano Coss. parentibus Libertinis, et seni jam Pacuvio Tarenti sua scripta recitavit: a quo fundus Accianus juxta Pisaurum dicitur: quia illuc inter Colonos fuerat ex Urbe deductus.

*Syriae.* (6 to 10)

*DEMETRIUS, XII, an.* 3. (1 to 2)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp*. (161 to 162)

*Alexandr*. (7 to 14)

*Judaeorum dux III, SIMON, annis* 8. (1 to 8)

*Romanorum.*

Tryphon Jonatham pontificem Judaeorum interficit, et in sacerdotium fratris Jonathae Simon assumitur.

Tryphon Antiochum occidit Alexandri filium.

Ptolemaeus filiam suam Demetrio tradit uxorem cum regno quod postulerat Alexandro.

Tryphon Syriae regnum conatus invadere, Antiocho filio Alexandri interfecto ad extremum et ipse super moritur.

Post Demetrium regnavit universae Syriae frater ejus Antiochus, qui cognominatus est Sidetes.

Simoni, Judaeorum pontifici pariter et principi, Romani et Spartiatae, legatione ejus libenter excepta, amicabilia misere rescripta.

Bellum Servile ortum in Sicilia.

Primus liber Machabaeorum hujus temporis historiam continet.

Antiochus Sidetes rex Syriae adversus Judaeam arma corripiens, et Jerosolymam vallo circumdans, cum ad conditiones pontificem Simonem compulisset, recedit olymp. 162.

Attalus moriens regni sui populum Romanum instituit haeredem.

*Syriae.* (3)

*ANTIOCHUS SIDETES XIII, an.* 9. (1 to 7)

*Ann. ab Abr.* (1880)

## *Olymp.* (163)

## *Alexandr.* (15 to 19)

## *Judaeorum. HYRCANUS, IV, qui et Joannes* , *an.* 26. (1 to 5)

## *Romanorum.*

Simon Judaeorum pontifex interficitur , cui succedit filius suus Joannes, qui victis Hyrcanis, Hyrcanus cognominatus est.

Ptolemaeus expulsus Aegypto.

Arsaces Parthus Antiochum interfecit.

Servi, qui in Sicilia rebellabant, obsidionis necessitate compulsi, ad sua invicem cadavera devoranda conversi sunt.

Juxta Aeoliae insulas, igne ex flatu suscitato, apparuit insula, quae nunc Hiera vocatur.

Arverni nobilissima Galliarum urbs capta, et rex Vetuitus.

*Syriae*. (8 to 9)

*DEMETRIUS, XIV, iterum an.* 4. (1 to 3)

*Ann. ab Abr*. (1890)

*Olymp*. (164 to 166)

*Alexandr*. (20 to 29)

*Aegypti VIII, PTOLEMAEUS PHYSCON, qui et Soter, annis* 17. (1)

*Judaeorum*. (6 to 16)

## *Romanorum.*

Joannes dux Judaeorum et pontifex adversus Hyrcanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, et a Romanis jus amicitiae postulans, decreto senatus inter amicos relatus est.

Narbonam coloniae deductae.

Hyrcanus pontifex Judaeorum Samariam, quae vocabatur Ectenias, et nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo coaequavit; quam postea Herodes instaurans Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

Marcus Terentius Varro philosophus et poeta nascitur.

Antiochus Cyzicenus, Grypo ejecto, Syriam obtinuit: ac rursum Grypus, superato Cyziceno, eamdem recepit. Ita ex successione regnabant adversum se invicem dimicantes.

## *Syriae.* (4)

## *ANTIOCHUS GRYPUS, XV, annis* 12. (1 to 9)

*Ann. ab Abr.* (1900)

*Olymp.* (167 to 169)

*Alexandr.* (2 to 12)

*Judaeorum.* (17 to 26)

*ARISTOBOLUS, V, ann.* 1. (1)

*Romanorum.*

Jugurtha contra Romanos dimicans capitur.

Rhodo terraemotu concussa, Colossus ruit.

Jonathas gloriose apud Judaeos principatum gerit.

M. T. Cicero Arpini nascitur, Matre Helvia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere.

Cn. Pompeius Magnus oritur.

Aristobolus filius Jonathae rex pariter et pontifex, primus apud Judaeos diadematis sumpsit insigne, post 484 ann. Babylonicae captivitatis.

*Syriae*. (11 to 12)

*ANTIOCHUS CYZICENUS. XVI, ann*. 18. (1 to 9)

*Ann. ab Abr*. (1910)

*Olymp*. (170)

*Alexandr*. (13 to 17)

## *Judaeorum. JANNAEUS, VI, qui et ALEXANDER, ann.* 27. (1 to 5)

## *Romanorum.*

Post quem regnavit Jannaeus cognomento Alexander, qui pontificatum quoque administrans, crudelissime civibus praefuit.

Turpilius comicus, senex admodum, Sinuessae moritur.

Caius Lucilius satirarum scriptor Neapoli moritur, ac publico funere effertur, an. aetatis 46.

Marcus Furius poeta, cognomento Bibaculus Cremonae nascitur.

Ducenta millia Cimbrorum caesa, et octoginta millia capta per Marium cum duce Teutomodo.

Caius Marius quinquies consul, juxta Eridanum Cimbros superat, et post de iis cum Catulo triumphat.

Thraces a Romanis victi.

Rursum in Sicilia bellum Servile consurgit.

Expulso de regno Ptolemaeo Physcone per matrem Cleopatram, et in Cyprum secedente.

*Syriae*. (10 to 14)

*Ann. ab Abr*.

*Olymp*. (171)

*Alexandr. Aegypti IX, PTOLEMAEUS, qui et Alexander, an.* 10. (1 to 4)

*Judaeorum*. (6 to 9)

*Romanorum.*

Aquilius in Sicilia bellum Servile compescuit.

Ptolemaeus rex Cyrenaeorum moriens Romanos testamento reliquit haeredes.

Seleucus ab Antiocho filio Cyziceni vivus exuritur.

Titus Lucretius poeta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit, anno aetatis 44.

*Syriae*. (15 to 18)

*Ann. ab Abr*. (1920)

*Olymp*. (172)

*Alexandr*. (5 to 10)

*Aegypti X, PTOLEMAEUS, qui a matre fuerat ejectus, an.* 8.

## *Judaeorum.* (10 to 15)

## *Romanorum.*

Antiochus in Parthos fugiens, Pompeio se deinceps tradidit. Post quem Philippus captus est a Gabinio.

HUCUSQUE Syria possessa per reges , in Romanam ditionem cessit.

Bellum adversum Romanos, Picentes, Marsi, Pelignique moverunt.

Lucius Pomponius Bononiensis, Attellanarum scriptor, clarus habetur.

Alexander matrem interemit.

## *Syriae. Syriae XVII, PHILIPPUS, an.* 2. (1 to 2)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (173 to 174)

## *Alexandr.* (1 to 7)

1 Regressus de fuga regnum obtinuit, quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris cives pepulerant.

## *Judaeorum.* (16 to 22)

## *Romanorum.*

Plotius Gallus primus Romae latinam rhetoricam docuit, de quo Cicero sic refert: *Memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere coepisse Plotium quemdam.*

Caius Valerius Catullus, scriptor lyricus, Veronae nascitur.

Sallustius Crispus, scriptor historicus, in Sabinis Amiterni nascitur.

Sylla Athenienses vastat.

Descriptione Romae facta, inventa sunt hominum CCCCLXIII millia.

Templum tertio apud Delphos a Thracibus incensum, et Romae Capitolium.

Jannaeus plurimas civitates capit.

Cicero Quintium defendit 26 anno aetatis.

P. Terentius Varro, vico Atace, in provincia Narbonensi nascitur, qui postea 35 annum agens, Graecas litteras cum summo studio didicit.

## *Ann. ab Abr.* (1930)

## *Olymp.* (175 to 176)

## *Alexandr.* (8)

## *Aegypti XI, PTOLEMAEUS DIONYSUS, annis* 30. (1 to 8)

## *Judaeorum*. (23 to 27)

## *Judaeorum VII, ALEXANDRA, annis* 9. (1 to 4)

## *Romanorum.*

Vultacilius Plotus Latinus rhetor, Cn. Pompeii libertus et doctor scholam Romae aperuit.

Sylla Romam obtinuit, et post biennium moritur.

Roscio contra Chrysogonum defenso, Cicero Athenas secedit, et inde post triennium Romam regreditur.

Pompeius gloriosissime triumphavit.

Lepidus publicus hostis judicatur.

T. Quintius Atta, scriptor Togatarum, Romae moritur, sepultusque via Praenestina ad milliarium secundum.

Alexandra, quae et Salina, uxor Alexandri, Jerosolymis regnavit, ex cujus aetate Judaeos rerum confusio et variae clades oppresserunt.

Bellum gladiatorium in Campania.

Lucius Lucullus primus imperator appellatus est , victa Armenia, Mesopotamia, et Nisibi cum fratre regis capta.

Pompeius universam  Hiberiam subjugavit.

M. Lucullus  de Bessis triumphavit, capta Cabyle, et Tomis, et caeteris vicinis urbibus.

## *Ann. ab Abr* (1940)

## *Olymp*. (177 to 178)

## *Alexandr*. (9 to 14)

## *Judaeorum*. (5 to 9)

## *HYRCANUS, an*. 34. (1)

## *Romanorum.*

Crassus  quoque triumphavit.

Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul a Mantua nascitur, Pompeio et Crasso coss.

M. Porcius Cato stoicus philosophus agnoscitur.

Antiochia Syriae capta a Romanis.

Creticum bellum ortum, unde Metellus Creticus.

Lucus Daphnensium juxta Antiochiam a Pompeio Apollini consecratur.

Judaei Romanorum vectigales per Pompeium facti, et pontificatum apud eos suscepit.

Aristobulus et Hyrcanus filii Alexandrae, contra se de imperio dimicantes, occasionem praebuere Romanis, ut Judaeam invaderent. Itaque Pompeius Jerosolymam veniens, capta urbe, et templo reserato, usque ad Sancta sanctorum accedit, Aristobulum vinctum secum adducit, pontificatum confirmat Hyrcano, deinde Antipatrum Herodis Ascalonitae filium procuratorem Palaestinae facit.

*Ann. ab. Abr.* (1950)

*Olymp.* (179)

*Alexandr.* (15 to 20)

*Judaeorum.* (2 to 7)

## *Romanorum.*

Libya per testamentum Appionis regis Romanis relicta.

Horatius Flaccus, satiricus et lyricus poeta, Libertino patre Venusii nascitur.

Apollodorus Pergamenus, Graecus orator, praeceptor Callidii et Augusti, clarus habetur.

Pompeius, captis Jerosolymis, tributarios Judaeos facit.

Ea quae de Catilina, Cethego, Lentulo, consule Cicerone, Sallustius scribit , hoc gesta sunt tempore.

Cicero in exsilio annum facit, honorifice susceptus a Plantio.

Pompeius imperator appellatus.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp*. (180 to 182)

*Alexandr*. (21 to 30)

*Aegypti CLEOPATRA, an*. 22. (1)

*Judaeorum*. (8 to 18)

*Romanorum.*

Caesar Lusitaniam, et quasdam insulas in Oceano capit.

Messalla Corvinus orator nascitur, et Titus Livius Patavinus scriptor historicus.

Virgilius Cremonae studiis eruditur.

Catullus 30 aetatis suae anno Romae moritur.

M. Callidius orator clarus habetur, qui bello postea civili Caesareanas partes secutus, cum Togatam Galliam regeret, Placentiae obiit.

Caesar Rhenum transiens, Germanos vastat.

Crassus consul cum filio suo apud Carras captus.

Ventidius, primus Romanorum, Parthos superat.

Curio promptus et popularis orator Romae habetur insignis; qui deinceps in Africa, pudore amissi exercitus, mori maluit quam evadere.

Virgilius, sumpta toga, Mediolanum transgreditur, et post breve tempus Romam pergit.

Simulacrum Olympiaci Jovis tactum fulmine.

Caesar Germanos et Gallos capit.

Principium belli civilis Caesaris et Pompeii.

*Ann. ab Abr.* (1960)

*Olymp.* (183)

## *Alexandr.* (2 to 5)

## *Judaeorum.* (19 to 22)

## *Romanorum.*

Diodorus Siculus Graecae scriptor historiae, clarus habetur. FINIS REIPUBLICAE, principiumque Romani imperii. Caius Julius Caesar primus apud Romanos singulare obtinuit imperium, a quo Caesares Romanorum principes appellati.

## *Romanorum primus C. JULIUS CAESAR, an. 4, menses* 7. (1 to 3)

Ab hoc loco Antiocheni sua tempora computant.

1 Pompeius praelio victus, et fugiens, a spadonibus Alexandrini regis occiditur.

Marcus Coelius praetor, et T. Annius Milo exsul, oppressi, res novas in Thuriano, Brutioque agro simul molientes.

2 Ptolemaei cadaver cum lorica aurea in Nilo inventum.

Caesar in Aegypto regnum Cleopatrae confirmat ob stupri gratiam.

3 Romae Basilica Julia dedicata.

Decretum senatus, et Atheniensium ad Judaeos mittitur, qui per legationem amicitiam postularant.

*Ann. ab Abr.* (1970)

*Olymp.* (184)

*Alexandr.* (6 to 8)

*Judaeorum.* (23 to 25)

*Romanorum.* (4 to 5)

Cleopatra regio comitatu Urbem ingressa.

Prohibitae lecticis, margaritisque uti, quae nec viros, nec liberos haberent, et minores essent annis 44.

5 Nigidius Figulus pythagoricus et magus in exsilio moritur.

Antonius decernit Quintilem mensem, Julium debere dici: quia in eo fuisset natus Julius Caesar.

Cassius, Judaea capta, templum spoliat.

Idibus Martiis, C. Julius Caesar in Curia occiditur, et fasces statim suscepit Publius Dolabella.

Caii Caesaris corpus in rostris, ob honorem, concrematum.

Servius Sulpitius jureconsultus, et Publius Servilius Isauficus, publico funere elati.

Romae tres simul soles exorti paulatim in eumdem orbem coierunt.

Inter caetera portenta, quae toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romae ad arantem locutus est, frustra se urgeri: non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

## *Romanorum II, regnavit OCTAVIANUS CAESAR Augustus, an. 56, menses 6. (A quo Augusti Romanorum reges appellati.)* (1)

1 Antonius adversum Caesarem Augustum bellum movet.

Laberius, mimorum scriptor, decimo mense post Caesaris interitum, Puteolis moritur.

Publius mimographus, natione Syrus, Romae scenam tenet.

Cicero in Phormiano suo ab Herennio et Popilio occiditur, 64 aetatis suae anno.

Ciceronis caput cum manu dextra pro Rostris positum, juxtaque coronata imago Popilii militis, qui eum occiderat.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp*

*Alexandr.* (9 to 10)

*Judaeorum.* (26 to 27)

*Romanorum.* (2 to 3)

3 Ovidius Naso nascitur in Pelignis.

Caius Falcidius tribunus plebis legem tulit, ne quis plus testamento legaret, quam ut quarta pars haeredibus superesset, *si quatuor, aut minus essent. Si autem plus quatuor, medietas eo tenore, ut sive liberis, sive propinquis idem exteris pater sua legaret, illa pars quam Falcidius constituit, nisi pater interdixerit, et legatis fruentibus, et eisdem carentibus aequanimiter partiretur.*

Curtius Salassus in insula Arada, cum quatuor cohortibus vivus combustus est, quod tributa gravius exigeret.

Vibium Maximum designatum quaestorem agnovit dominus suus, et abduxit.

E taberna meritoria trans Tiberim, oleum terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione, significans Christi gratiam ex gentibus .

Antonium superat Augustus, et interveniente senatu, in amicitiam cum eo regreditur.

Cornificius poeta a militibus desertus interiit, quos saepe fugientes galeatos lepores appellat. Hujus soror Cornificia, cujus insignia exstant epigrammata.

Templum Rhodiorum depopulatus est Cassius.

Secunda secessio Augusti et Antonii.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (185 to 186)

*Alexandr.* (11 to 17)

*Judaeorum.* (28 to 34)

*Romanorum.* (4 to 10)

4 Cornelius Nepos scriptor historicus clarus habetur.

5

7 Fornii pater et filius clari oratores habentur, quorum filius consularis ante patrem moritur.

9 Sallustius diem obiit, quadriennio ante Actiacum bellum.

Marcus Bavius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.

10 Antigonus contra Judaeos dimicans, tandem occiditur, a quo usque in praesens tempus Jerosolymitarum regnum destructum est. Siquidem Herodes post eum a Romanis constitutus est princeps alienigena, et nihil omnino pertinens ad Judaeam.

Herodes Antipatri Ascalonitae, et matris Cypridis Arabicae filius, a Romanis Judaeorum suscepit principatum: cujus tempore, Christi nativitate vicina, regnum, et sacerdotium Judaeae, quod prius per successiones minorum tenebatur, destructum est, completa prophetia, quae ita per Mosen loquitur: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat, cui repositum est. Et ipse erit exspectatio gentium.* In hoc etiam loco, Christus, quem Danielis scriptura praefatur, accepit finem. Nam usque ad Herodem, christi, id est, sacerdotes erant reges Judaeorum, qui imperare coeperunt a 65 olympiade, et ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, et ad 186 olympiadem, annis 433 in medio transactis: quos Daniel quoque significat, dicens: *Et scies et intelliges ab initio sermonis respondendi, et aedificandi Jerusalem usque ad Christi principatum, hebdomades 7 et hebdomades 62.* Quae 69 hebdomades faciunt annos 483, in quibus christi, id est, sacerdotes per unctionem consecrati regnaverunt usque ad Hyrcanum: quo extremo omnium a Parthis capto, Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Judaeam ab Augusto et senatu accepit: filiique ejus post eum regnaverunt usque ad novissimam Jerosolymitarum captivitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis pontificibus constitutis, perpetuitate vitae secundum legem Moysi servientibus Deo. Ignobiles vero quidam, et alio tempore alii, et nonnulli unius anni, sive

modico amplius, a Romanis imperatoribus sacerdotium emebant. Quae omnia etiam Daniel Propheta vaticinatur, dicens: *Et post hebdomadas septem et sexaginta duas interibit chrisma, et judicium non erit in eo, et templum et sanctum corrumpet populus duce veniente: et caedentur in cataclysmo belli.* Et in sequentibus: *Et super templum,* inquit, *abominatio desolationum: et usque ad consummationem temporis, consummatio dabitur super desolationem.*

*Ann. ab Abr.* (1980)

*Olymp.*

*Alexandr.*

*Judaeorum.*

*Romanorum.*

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.*

*Alexandr.* (18)

*Judaeorum. Deficiente Pontificum principatu, Judaeis regnavit HERODES alienigena, an.* 37. (1)

*Romanorum.* (11)

Herodes Ananelum quemdam de Babylone accitum, pontificem Judaeorum constituit, et post exiguum temporis Aristobulum fratrem uxoris suae, nepotem Hyrcani successorem ei dedit, quo post annum interfecto, rursum Ananelo reddidit sacerdotium.

Lunae, secundum Romanos, cursus inventus.

11 Antonii et Augusti foedus.

Colonias deduxere Romani.

Augustus triumphavit pedestris certaminis triumpho.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (187)

*Alexandr.* (19 to 22)

Aegypti regnum. quod fuit in Alexandria, destructum est.

*Judaeorum.* (2 to 5)

# *Romanorum.* (12 to 15)

12 Antonius Cleopatrae Arabiam tradidit.

13 Augusti et Antonii tertiae dissensionis exordium, quod repudiata sorore Caesaris, Cleopatram induxisset uxorem.

14 Nicetes, et Hibreas, et Theodorus, et Plution nobilissimi artis rhetoricae Graeci praeceptores habentur.

15 Cleopatra et Antonius semet interficiunt, et Aegyptus fit Romana provincia, quam primus tenuit Caius Cornelius Gallus, de quo Virgilius scribit in Bucolicis. Usque ad Cleopatram Ptolemaei, qui vocabantur Lagidae, in Aegypto regnaverunt annis 295.

Artorius medicus Augusti, post Actiacam victoriam naufragio perit.

Quidam ab hoc loco primum annum Augusti monarchiae supputant.

Caesar Augustus appellatus, a quo Sextilis mensis Augusti nomen accepit.

Cum ingenti triumphorum pompa Augustus Romam ingressus, et Cleopatrae liberi, Sol et Luna ante currum ejus ducti.

Nicopolis juxta Actium condita et agon Actiacus constitutus.

Augustus Romanis plurimas leges statuit.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (188)

*Judaeorum.* (6 to 9)

*Romanorum.* (16 to 19)

16 Censu Romae agitato, inventa sunt civium Romanorum XL centena et LXIII millia.

Coloniae deductae.

Anaxilaus Larisseus Pythagoricus et Magus ab Augusto Urbe Italiaque pellitur.

M. Terentius Varro philosophus prope nonagenarius moritur.

Thebae Aegypti usque ad solum erutae.

17 Cornelius Gallus Forojuliensis poeta, a quo primum Aegyptum rectam, supradiximus, 43 aetatis suae anno propria se manu interfecit.

Trallis terraemotu consederunt.

18 Indi ab Augusto per legatum amicitiam postularunt.

Messala Corvinus primus praefectus Urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans.

19 Augustus Calabriam et Gallos vectigales facit.

Munacius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

Marcus Lollius Galatiam provinciam facit.

Augustus, cum ei monarchia deferretur, renuit.

*Ann. ab Abr.* (1990)

*Olymp.* (189 to 190)

*Judaeorum.* (10 to 16)

*Romanorum.* (20 to 26)

20 Quintilius Cremonensis Virgilii et Horatii familiaris moritur.

22 Augustus Cyzicenos libertate privavit.

Pylades Cilix pantomimus, cum veteres ipsi canerent atque saltarent, primus Romae chorum et fistulam sibi praecinere fecit.

23 Tiberius ab Augusto missus occupavit Armeniam.

Atratinus , qui septem decim natus annis Coelium accuraverat, clarus inter oratores habetur: ad extremum morborum taedio in balneo, voluntate exanimatus, haeredem reliquit Augustum.

Cantabri res novas molientes opprimuntur.

24 Herodes apud Jerosolymam multas et magnas construxit aedes.

25 Virgilius Brundusii moritur, Sentio Saturnino et Lucretio Cinna coss.

Ossa ejus Neapolim translata in secundo ab urbe milliario sepeliuntur, titulo istiusmodi suprascripto, quem moriens ipse dictaverat:
*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc*
*Parthenope, cecini pascua, rura, duces.*

26 Herodes Samariam olim jam in cineribus sedentem, a fundamentis suscitans, in honorem Augusti Augustam, id est, *Sebasten* appellavit, et in Paneade id quod Panion vocatur, exstruxit.

Augustus Samiis libertatem dedit.

*Ann. ab Abr.*

*Olmyp.* (191 to 193)

*Judaeorum.* (17 to 26)

*Romanorum.* (27 to 36)

27 In Cypro plurimae civitatum partes terraemotu conciderunt.

Germanos in arma versos M. Lollius superat.

Varius et Tucca, Virgilii et Horatii contubernales, poetae habentur illustres, qui Aeneidum libros postea emendaverunt sub lege ea, ut nihil adderent.

28 Augustus Caium Agrippam adoptavit in filium.

Aemilius Macer Veronensis poeta in Asia moritur.

29 Tiberius Vindelicos, et eos qui Thraciarum confines erant, Romanas provincias facit.

30 Coloniae Berytum et Patras deductae.

Bosphorum Agrippa capit.

31 Cestius Smyrnaeus rhetor Latine Romae docuit.

Augustus a senatu pontifex maximus appellatur.

32 Herodes Caesaream in nomine Caesaris condidit, quae prius turris Stratonis vocabatur.

Herodes Anthidonam condidit, et Antipatridam: atque Herodionem in honorem patris Antipatri et suum exstruxit: innumerabilia quoque opera in singulis Syriarum urbibus, quas regebat, solertissime aedificavit.

33 Tiberius Caesar de captivis Pannoniis triumphat.

35 Horatius 57 aetatis suae anno Romae moritur.

Passienus pater, declamator insignis, diem obiit.

C. Julius Hyginus cognomento Polyhistor, grammaticus habetur illustris.

Tiberius, vastata Germania, imperator appellatur.

36 Herodes Hyrcanum, qui olim sacerdos Judaeorum fuerat, de captivitate Parthica regressum, et filium ejus, qui sacerdotio patris successerat, interfecit : sororem quoque ejus uxorem suam, cum duobus propriis filiis jam adolescentibus, et matrem uxoris occisae, socrum suam, crudelissime necat.

## *Ann. ab Abr.* (2000)

## *Olymp.* (194)

## *Judaeorum.* (27 to 32)

## *Romanorum.* (37 to 42)

38 Tiberius de Rhetis, Vindelicis, Armenis, ac Pannoniis triumphavit.

Albutius Silo Novariensis clarus rhetor agnoscitur.

In insula Coo terraemotu plurima conciderunt.

39 Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam damnat exsilio.

M. Tullius Tyro Ciceronis libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenescit.

Augustus gladiatorium ludum, et navale certamen exhibuit.

40 Melissus Spoletinus grammaticus agnoscitur.

M. Porcius Latro, Latinus declamator, taedio duplicis quartanae semet interfecit. Herodes ad ea quae supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit, virum sororis suae Salomae interfecit, et cum eam alii tradidisset uxorem, etiam hunc necat: Scribas quoque et interpretes divinae legis simili scelere occidit.

41. Tertullianus in eo libro, quem contra Judaeos scripsit, affirmat Christum 41 anno Augusti natum, et 15 Tiberii esse passum.

42 Edicente Caesare, ex senatusconsulto Quirinus in Judaeam missus, census hominum, possessionumque describit.

JESUS CHRISTUS filius Dei in Betheleem Judae nascitur, quo anno coepit Christianorum salus: qui et primus annus Christianae salutis numeratur. Colliguntur omnes anni ab Abraham usque ad nativitatem Christi, anni 2015.

C. Caesar amicitiam cum Parthis fecit.

Xystus Pythagoricus philosophus agnoscitur.

*An. Dom.* (1)

*Ann. ab Abr*. (2010, 2015)

*Olymp*.

*Judaeorum*.

*Romanorum*.

*An. Dom*.

*Ann. ab Abr*.

*Olymp*. (195 to 196)

## *Judaeorum.* (33 to 37)

## *Judaeorum dux ARCHELAUS, annis* 9. (1)

## *Romanorum.* (43 to 48)

43 Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptat.

Judas Galilaeus ad rebellandum Judaeos, ne acquiescerent solvere tributa Romanis, cohortatur.

44 Herodes cum Christi nativitatem, Magorum indicio, cognovisset, universos in Bethleem parvulos jussit interfici.

47 Asinius Pollio orator et consularis, qui de Dalmatis triumpharat, 70 aetatis suae anno in villa Tusculana moritur.

Herodes morbo intercutis aquae, et scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter et digne moritur.

48 In Herodis locum filius ejus Archelaus , ab Augusto substituitur, et Tetrarchae fiunt quatuor fratres ejus, Herodes, Antipater, Lysias, et Philippus.

## *An. Dom.* (2 to 7)

## *Ann. ab Abr.* (2020)

## *Olymp.* (197 to 198)

## *Judaeorum.* (2 to 9)

## *Romanorum.* (49 to 56)

49 Fames Romae ita ingens facta, ut quinque modii venderentur denariis 27 semis.

Philisthion mimographus, natione Magnesianus, Romae clarus habetur.

50 Tiberius Caesar Dalmatas, Sarmatasque in Romanam redigit potestatem.

51 Athenodorus Tarsensis Stoicus philosophus, et M. Verrius Flaccus grammaticus, insignes habentur.

52 Athenienses res novas contra Romanos molientes opprimuntur, auctoribus seditionis occisis.

*Jesus Christus in medio doctorum disputat, mirantibus illis, eo quod resistere sapientiae suae non poterant.*

53 Messala Corvinus orator ante biennium quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit, annos aetatis 72.

55 Augustus cum Tiberio filio suo censum Romae agitans, invenit hominum nonagies tercentena et septuaginta millia.

Sotio philosophus Alexandrinus, praeceptor Senecae clarus habetur.

56 Archelaus nono anno regni sui, in Viennam urbem Galliae relegatur.

Defectio solis facta , et Augustus 76 aetatis suae anno, Atellae in Campania moritur, sepeliturque Romae in campo Martio.

## *An. Dom.* (8 to 15)

## *Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (199)

## *Judaeorum principatum tenet HERODES Tetrarcha annis* 24. (1 to 5)

## *Romanorum III, TIBERIUS regnavit annis 23, vel 21, ut aiunt nonnulli.* (1 to 5)

1 Tiberius quasi coactus, et querens miseram et onerosam jungi sibi servitutem, imperium recepit.

Caius Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, cujus etiam Virgilius meminit, diris a Tiberio suppliciis necatur.

4 T. Livius historiographus Patavii moritur.

Ovidius poeta in exilio diem obiit, et juxta oppidum Tomos sepelitur.

Germanicus Caesar de Parthis triumphat.

5 Tredecim urbes terraemotu corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Aegaee, Hierocaesarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cymae, Myrhina, Apollonia, Hyrcania.

*An. Dom.* (16 to 20)

*Ann. ab Abr.* (2030)

*Olymp.* (200 to 201)

*Judaeorum.* (6 to 12)

*Romanorum.* (6 to 12)

6 Fenestella, historiarum scriptor, septuagenarius moritur, sepeliturque Cumis.

7 Tiberius multos reges ad se per blanditias evocatos numquam remisit: in quibus Archelaum Cappadocem, cujus regno in provinciam verso, Mazacam nobilissimam civitatem, Caesaream appellare jussit.

8 Pompeii theatrum incensum.

Tiberius Drusum consortem regni facit.

9 Drusus Caesar veneno periit.

10 Quintus Atherius, promptus et popularis orator, usque ad 90 prope annum summo honore consenescit.

11 Servius Plautus corrupti filii reus semet in judicio interficit.

12 Philippus tetrarcha Paneadem, in qua plurimas aedes construxerat, Caesaream Philippi vocavit, et Juliadem aliam civitatem.

*An. Dom.* (21 to 27)

*Ann. ab Abr.* (2040)

*Olymp.* (202)

*Judaeorum.* (13 to 18)

# *Romanorum.* (13 to 18)

13 Pontius Pilatus procurator Judaeae a Tiberio mittitur.

14 Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.

Herodes Tiberiadem condidit, et Libiadem.

15 Joannes filius Zachariae in deserto juxta Jordanem fluvium praedicans, Christum filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus Jesus Christus hinc in populos salutarem viam annuntiat, signis atque virtutibus vera comprobans esse, quae diceret.

COMPUTANTUR in praesentem annum, id est 15 Tiberii Caesaris, a secundo anno instaurationis Templi, quae facta est sub altero anno Darii regis Persarum, anni 548;---a Salomone autem et prima aedificatione templi, anni 1060;---a Mose, et egressu Israelis ex Aegypto, ann. 1539;---ab Abraham et regno Nini et Semiramidis, an 2044;---a diluvio usque ad Abraham 942;---ab Adam usque ad diluvium an. 2242.

16 Principium octuagesimi primi jubilaei secundum Hebraeos.

Jesus Christus filius Dei salutarem cunctis praedicans viam, miracula quae in Evangeliis scripta sunt, facit.

17 Jesus Christus filius Dei, discipulos suos divinis imbuens sacramentis, ut universis gentibus conversionem ad Deum nuntient, imperat.

18 Jesus Christus filius Dei, secundum prophetias, quae de eo fuerant praelocutae, ad passionem venit anno Tiberii 18, quo tempore etiam in aliis ethnicorum commentariis haec ad verbum scripta reperimus: *Solis facta defectio, et tenebrae super universam terram. Bithynia terraemotu concussa, et in urbe Nicaena aedes plurimae corruerunt.* Quae omnia his congruunt, quae in passione Salvatoris acciderunt. Scribit vero super his et Phlegon, qui olympiadarum egregius supputator est, in XIII libro ita dicens: *Quarto autem anno 202 olympiadis, magna et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio solis est facta; dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Nicaenae urbis multas aedes subvertit.* Haec supradictus vir. Argumentum autem hujus rei, quod Salvator isto anno passus sit, Evangelium praebet Joannis, in quo scribitur, post decimum quintum annum Tiberii Caesaris, tribus annis Dominum praedicasse. Josephus etiam vernaculus Judaeorum scriptor, circa haec tempora die Pentecostes sacerdotes primum commotiones locorum, et quosdam sonitus sensisse testatur. Deinde ex adyto Templi repentinam subito erupisse vocem dicentium: *Transmigremus ex his sedibus.* Scribit autem memoratus vir, quod eodem anno Pilatus praeses secreto noctis imagines Caesaris in templo statuerit. *Sed repugnantibus Judaeis, et cum quasi uno consilio ad mortem praeparati, nudatas illico cervices ad recipiendos ictus, omnes proni paraverant, Pilatus motus statuas jussit auferri.* Et haec prima seditionis et turbarum Judaeis causa exstiterit.

*An. Dom.* (28 to 33)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.*

*Judaeorum.*

*An. Dom.*

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (203)

## *Judaeorum*. (19 to 21)

## *Romanorum*. (19 to 21)

Ecclesiae Jerosolymorum primus episcopus ab Apostolis ordinatur Jacobus frater Domini.

Ex hoc loco considerandum, quantae deinceps calamitates Judaeorum gentem oppresserint.

19 Cassius Severus orator egregius, qui Quintianum illud Proverbium luserat, 25 exsilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.

*Stephanus lapidatur: Saulus ad Christum convertitur.*

20 Pilatus post supradictam seditionem, quae ob Caesaris imagines fuerat concitata, sacrum thesaurum, quem Corbonam Judaei vocant, in aquaeductum Jerosolymorum expendens, secundae seditionis praebuit semina.

21 Sejanus praefectus Tiberii, qui apud eum plurimum poterat, instantissime cohortatur, ut gentem Judaeorum deleat: Philo meminit in libro Legationis II.

*Jacobus frater Joannis Apostoli, jubente Herode rege, capite truncatus occiditur.*

*Petrus Apostolus ab Herode in carcerem trusus, et vinctus catenis duabus, mirabiliter ab angelo liberatur.*

Persius Flaccus Satiricus poeta Volaterris nascitur.

*An*. *Dom*. (34 to 36)

*Ann*. *ab Abr*. (2050)

*Olymp*. (204)

*Judaeorum*. (22 to 24)

*Judaeorum AGRIPPA, an*. 7. (1)

*Romanorum*. (22 to 23)

22 Agrippa filius Aristobuli, filii Herodis regis, accusator Herodis tetrarchae, Romam profectus a Tiberio in vincula

conjicitur, *eo quod publice Deum precatus fuisset, ut, mortuo statim Tiberio, Caium cunctorum dominum videret.*

23 Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum, ut inter caetera sacra reciperetur. Verum cum ex consulto patrum, Christianos eliminari Urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem: scribit Tertullianus in Apologetico.

*Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique cathedram adeptus, sedit annis* 25.

Multi senatorum et equitum Romanorum interfecti.

Tiberius in Campania moritur in Lucullana villa.

## *Romanorum IV, CAIUS CALIGULA regnavit annis 3, menses* 10. (1 to 2)

1 Caius Caesar cognomento Caligula, Agrippam vinculis liberatum, regem Judaeae facit.

Caius semetipsum inter deos refert.

Flaccus Avilius praefectus Aegypti, multis Judaeos calamitatibus premit, consentiente Alexandriae populo, et crebris adversus eos clamoribus personante: synagogas quoque eorum imaginibus, statuis, aris et victimis polluit.

2 Refert Philo in eo libro, qui *Flaccus* inscribitur, haec omnia se praesente gesta, ob quae etiam legationem ad Caium ipse susceperat.

Passienus filius fraude haeredis suae necatus.

## *An. Dom.* (37 to 40)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (205)

## *Judaeorum.* (2 to 5)

## *Romanorum.* (3 to 4)

3 *Matthaeus in Judaea Evangelium primus scribit.*

Caius cognomento Caligula, Memmii Reguli duxit uxorem, impellens eum, ut uxoris suae patrem esse se scriberet.

Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit: scribunt Romanorum historici.

Caius Petronio praefecto Syriae praecepit, ut Jerosolymis statuam suam sub nomine Jovis Optimi Maximi poneret: *quod Judaei maxima negaverunt obstinatione.*

Toto orbe Romano, sicut Philo scribit, et Josephus, in Synagogis Judaeorum statuae, et imagines, et arae C. Caesaris consecratae.

Plurimi nobilium a Caio interfecti.

Caius sorores suas, quibus stuprum intulerat, insulari exsilio condemnavit.

4 Caius omnes exsules jussit interfici.

Caius a protectoribus suis occiditur in palatio, anno aetatis suae 29.

## *Romanorum V, CLAUDIUS regnavit an. 13, mens.* 8, *dieb.* 28. (1 to 2)

1 Iste est Claudius patruus Drusi, qui apud Moguntiacum monumentum habet: *Alibi legi, avunculus, quia frater matris Caii fuit.*

2 PETRUS Apostolus *natione Galilaeus, Christianorum Pontifex primus,* cum primum Antiochenam Ecclesiam

fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans 25 annis ejusdem urbis episcopus perseverat.

*An. Dom.* (41 to 44)

*Ann. ab. Abr.*

*Olymp.*

*Judaeorum.* (6 to 7)

*Romanorum.* (3 to 4)

3 Marcus Evangelista interpres Petri, Aegypto et Alexandriae Christum annuntiat.

Primus Antiochiae episcopus ordinatur Evodius.

4 Agrippa rex Judaeorum an. 7 imperans moritur.

Post quem filius ejus Agrippa, a Claudio substituitur in regnum.

Prophetia Agabi, quae in Actibus Apostolorum famem in toto orbe futuram dixerat sub Claudio expletur.

Claudius de Britannis triumphavit, et Orchadas insulas Romano adjecit imperio, *In cujus gloriae memoriam filium suum Britannicum appellavit.*

Domitius Afer Nemausensis clarus orator habetur, qui postea, Nerone regnante, ex cibi redundantia in coena moritur.

Claudus Quirinalis Rhetor Arelatensis Romae insignissime docet.

Inter Theram et Therasiam exorta est insula habens stadia 30.

## *An. Dom.* (45 to 46)

## *Ann. ab Abr.* (2060)

## *Olymp.* (206)

## *Judaeorum AGRIPPA superioris Agrippae filius, an.* 26. (1 to 4)

## *Romanorum.* (5 to 8)

5 Descriptione Romae facta sub Claudio inventa sunt civium Romanorum 68 centena et 44 millia.

*Claudius circa haec tempora Fucinum lacum exsiccavit, 11 annos triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.*

*Portum Ostiae Claudius exstruxit, dextra laevaque duobus quasi brachiis objectis.*

6 Thracia hucusque regnata, in Romanorum provinciam redigitur.

*Maria virgo Jesu Christi mater ad Filium in coelum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt.*

7 Sub procuratore Judaeae Cumano in diebus azymorum tanta est Jerosolymis orta seditio, ut in portarum exitu, populo corruente, 30 millia Judaeorum perierint.

8 Palaemon Vicetinus insignis grammaticus Romae habetur, qui quondam interrogatus, quid inter stillam et guttam interesset: Gutta, inquit, stat, et stilla cadit.

M. Antonius Liberalis Latinus rhetor gravissimas inimicitias cum Palaemone exercet.

## *An. Dom.* (47 to 50)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (207 to 208)

## *Judaeorum.* (5 to 12)

6

## *Romanorum.* (9 to 14)

9 Fame facta in Graecia, modius sex drachmis venundatus est.

*Tres simul soles apparuerunt, statimque simul in eumdem orbem coierunt.*

10 Magna fames Romae.

*Dionysius Areopagita praestabilis olim philosophus claret.*

11 Claudius Felicem procuratorem Judaeae mittit, apud quem Paulus apostolus accusatus in defensionem sui perorat.

12 *Philippus apostolus Christi apud Hierapolim Asiae civitatem, dum Evangelium populo nuntiaret, cruci affixus, lapidibus opprimitur.*

13 Sub Felice procuratore Judaeae exstiterunt multi, qui populum sua persuasione deciperent, in quibus et Aegyptius quidam pseudopropheta fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur. Scribit Josephus consentanea apostolorum Actibus, in quibus Paulo dicitur a Tribuno: *Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum?*

14 Claudius moritur in Palatio, anno aetatis suae 64.

## *Romanorum VI, NERO regnavit annis* 13, *mensibus 7, diebus* 28. (1 to 2)

1 Hujus avunculus fuit Caius Caligula.

Felice regente Judaeam, seditio in Caesarea Palaestinae orta magnam Judaeorum multitudinem perdidit.

2 Festus in gubernatione succedit Felici, apud quem, praesente Agrippa rege, Paulus apostolus religionis suae rationem exponens, vinctus Romam mittitur.

Probus Berytius eruditissimus grammaticorum, Romae agnoscitur.

## *An. Dom.* (51 to 58)

## *Ann. ab Abr.* (2070)

## *Olymp.* (209 to 210)

## *Judaeorum.* (13 to 20)

## *Romanorum.* (3 to 10)

3 Statius Surculus Tholosanus in Gallia, celeberrime rhetoricam docuit.

4 Terraemotus Romae, et solis defectio.

5 Nero Agrippinam matrem suam et sororem patris interficit.

6 Nero tantae luxuriae fuit, ut frigidis et calidis lavaretur unguentis, retibusque aureis piscaretur, quae purpureis funibus extrahebat.

Nero Romae cithara contendens superat.

Festo in magistratu Judaeae succedit Albinus.

7 Jacobus, frater Domini, quem omnes Justum appellabant, a Judaeis lapidibus opprimitur: in cujus thronum Simeon, qui et Simon secundus assumitur.

8 Ante mensam Neronis fulmen cecidit.

Post Marcum Evangelistam primus Alexandrinae ecclesiae ordinatur episcopus Annianus, qui praefuit annis 22.

9 Persius Volaterranus, Satiricus poeta, moritur anno aetatis suae 29.

Thermae a Nerone aedificatae, quas Neronianas appellavit.

Nero Romae in citharistarum agone contendens omnes superat.

10 M. Annaeus Lucanus, Cordubensis poeta, in Pisoniana conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico praebuit.

Nero, ut similitudinem ardentis Trojae inspiceret, plurimam partem Romanae urbis incendit.

In Asia tres urbes terraemotu conciderunt, Laodicia, Hierapolis, Colossae.

Albino *procuratori Judaeae* Cestius Florus succedit, sub quo Judaei contra Romanos rebellaverunt.

Junius Annaeus Gallio frater Senecae egregius declamator propria se manu interfecit.

## *An. Dom.* (59 to 66)

## *Ann. ab Abr.* (2080)

## *Olymp.* (211)

## *Judaeorum.* (21 to 22)

## *Romanorum.* (11 to 12)

11 Non est acta (olympias), Nerone in suam praesentiam differente.

Duae tantum provinciae sub Nerone factae, Pontus Polemoniacus, et Alpes Cottiae, Cottio rege defuncto.

Multi nobilium Romae a Nerone interfecti.

Nero in olympiade coronatur, cerycas, citharistas, tragoedos, aurigas vario certamine superans.

Lucius Annaeus Seneca Cordubensis, praeceptor Neronis, et patruus Lucani poetae, incisione venarum, et veneni haustu periit.

12 Rursum Nero isthmia, pythia, actia celebrans, inter cerycas, tragoedos, et citharistas coronatur .

Neroni in expensas centies centena millia decreto senatus annua subministrantur.

*An. Dom.* (67 to 68)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.*

## *Judaeorum.* (23 to 24)

## *Romanorum.* (13 to 14)

13 Nero cum caeteris viris insignibus et Octaviam uxorem suam interfecit, Cornutumque philosophum praeceptorem Persii in exsilium fugat.

14 Musonius et Plutarchus philosophi insignes habentur.

L. Annaeus Mella, Senecae frater et Gallionis, bona Lucani poetae filii sui a Nerone promeretur.

Primus Nero super omnia scelera sua, etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romae occubuerunt.

Contra Judaeos, qui Cestii Flori avaritiam non ferentes, rebellabant, Vespasianus magister militiae a Nerone transmittitur. Vespasianus plurimas urbes Judaeae capit.

Flavius Josephus scriptor historicus, dux belli Judaeorum, cum a Romanis interficiendus esset, Vespasiano praenuntiat de morte Neronis, et ejus imperio: cujus rei causa vitam dono accepit.

Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit LINUS annis 11.

Nero cum a Senatu quaereretur ad poenam, e palatio fugiens ad quartum Urbis milliarium, in suburbano liberti sui inter Salariam et Nomentanam [*Al.* Numentanam] viam semet interficit, anno aetatis suae 32, atque in eo omnis Augusti familia consummata est.

Post Neronem GALBA in Hiberia, VITELLIUS in Germania, OTHO Romae imperium arripuerunt.

M. Fabius Quinctilianus Romam a Galba perducitur.

Galba septimo mense imperii sui, in medio Romanae urbis foro, capite truncatur.

Vespasianus duobus praeliis superatos Judaeos ad muros compulit.

Otho tertio regni sui mense, apud Bebriacum propria manu occubuit.

Antiochiae secundus episcopus ordinatur Ignatius.

Vitellius octavo imperii sui mense a Vespasiani ducibus occisus, in Tiberim projicitur.

*An. Dom.* (69 to 70)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.*

*Judaeorum.*

*Romanorum.*

*An. Dom.*

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (212)

*Judaeorum.* (25 to 26)

26 Judaeorum regnum defecit.

## *Romanorum VII, VESPASIANUS regnavit annis 9, mensibus 11, diebus* 22. (1 to 2)

1 Vespasianus apud Judaeam imperator ab exercitu appellatus, et bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur.

Capitolium Romae incensum.

2 Titus, Judaea capta, et Jerosolymis subversis, sexcenta millia virorum interfecit. Josephus vero scribit, undecies centena millia fame et gladio periisse, et alia centum millia captivorum publice venundata. Ut autem tanta multitudo Jerosolymis reperiretur, causam azymorum fuisse refert, ob quam ex omni gente Judaeae ad Templum confluentes, urbe quasi carcere sunt reclusi: oportuit enim iisdem diebus Paschae eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant.

Colligitur omne tempus in secundum annum Vespasiani, et novissimam eversionem Jerosolymarum, a quinto decimo Tiberii Caesaris anno, et ab exordio Evangelicae praedicationis, 12.

*An. Dom.* (71 to 72)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (213)

*Romanorum.* (3 to 8)

3 A captivitate autem, quam ab Antiocho perpessi sunt, anni 239. Porro a Darii secundo anno, sub quo rursum Templum aedificatum est, anni 590. A prima autem aedificatione Templi sub Salomone usque ad novissimam ejus ruinam, quae sub Vespasiano facta est, anni 1102.

5 Vespasianus Capitolium aedificare orsus.

In Alexandria facta seditio.

Serapion philosophus et orator agnoscitur.

6 Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia, Cilicia, Comagene, quae liberae antea et sub regibus amicis erant, in provincias redactae.

7 Colossus erectus habens altitudinis pedes 107.

Q. Asconius Pedianus scriptor historicus clarus habetur, qui 73 aetatis suae anno captus luminibus, 12 postea annis in summo honore consenescit.

8 Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.

Tres civitates Cypri terraemotu corruerunt.

## *An. Dom.* (73 to 78)

## *Ann. ab Abr.* (2090)

## *Olymp.* (214)

## *Romanorum.* (9 to 10)

9 Lues ingens Romae facta, ita ut per multos dies in ephemeriden decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.

10 Vespasianus Colonias deduxit, et mortuus est profluvio ventris in villa propria circa Sabinos, anno aetatis 69.

## *Romanorum VIII, TITUS regnavit annis* 2, *mensibus* 2. (1 to 2)

1 Titus filius Vespasiani in utraque lingua disertissimus fuit, et tantae bonitatis, ut cum quadam die recordatus fuisset in coena, nihil se illo die cuiquam praestitisse, dixit: Amici, hodie diem perdidi.

Mons Vesuvius ruptus in vertice tantum ex se jecit incendii, ut regiones vicinas et urbes cum hominibus exureret

2 Titus Musonium Rufum philosophum de exsilio revocat.

Titus amphitheatrum Romae aedificat et in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit.

Romanae Ecclesiae II constituitur Episcopus CLETUS annis 12.

Romae plurimae aedes incendio concremantur.

Titus morbo periit in ea villa, qua pater. pridie Idus Septembres, anno aetatis 42.

*An. Dom.* (79 to 82)

*Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (215 to 216)

## *Romanorum IX, DOMITIANUS, Titi frater junior, regnavit annis* 15, *mensibus* 5. (1 to 7)

1 Decreto senatus Titus inter deos refertur.

Domitiani uxor Augusta appellatur.

2 *Domitianus quotidie secretam quietem consuevit sumere, in qua nihil aliud curabat, nisi muscas stylo praeacuto configere.*

3 Domitianus eunuchos fieri prohibuit.

Tres virgines Vestae ob stuprum damnatae.

Plurimos senatorum Domitianus in exsilium mittit.

4 Secundus Alexandrinae Ecclesiae constituitur episcopus Abilius, qui praefuit annis 13.

5 Domitianus templum sine admixtione lignorum construit.

6 Primus Domitianus dominum se et deum appellare jussit.

Nasamones et Daci dimicantes contra Romanos victi.

7 Duo menses aliter appellati, September Germanicus, et October Domitianus.

Quinctilianus ex Hispania Calaguritanus, qui primus Romae publicam scholam et salarium e fisco accepit, claruit.

## *An. Dom.* (83 to 89)

## *Ann. ab Abr.* (2100)

## *Olymp.* (217 to 218)

## *Romanorum.* (8 to 15)

8 Domitianus plurimos nobilium in exsilium mittit, et occidit.

9 Domitianus mathematicos et philosophos Romana urbe pellit.

10 Multa opera Romae facta, in quibus Capitolium, Forum transitorium, divorum Porticus, Isium ac Serapium, Stadium, Horrea piperataria, Vespasiani templum, Minerva Chalcidica, Odeum, Forum Trajani, Thermae Trajanae et Titianae,

Senatus, Ludus matutinus, Mica aurea, Meta sudans, et Pantheon.

11 Domitianus de Dacis et Germanis triumphat.

Domitianus tantae superbiae fuit, ut aureas et argenteas statuas sibi in Capitolio poni jusserit: *Haecque et caetera omnia suo tantum titulo, sine ulla prisci auctoris memoria, signaret.*

Maxima virginum Vestalium Cornelia convicta stupri, juxta legem viva defossa est.

12 Romanae Ecclesiae episcopus III praefuit CLEMENS annis 9.

Domitianus prohibuit vites in urbibus seri.

Flavius Josephus vicesimum librum Antiquitatum his temporibus scribit.

13 Domitianus multos nobilium perdidit, quosdam vero in exsilium misit.

14 Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, et sub eo apostolus Joannes in Patmon insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Irenaeus interpretatur.

15 Domitianus rursum philosophos et mathematicos Roma per edictum extrudit.

Apollonius Tyaneus, et Euphrates insignes philosophi habentur.

*An. Dom.* (90 to 97)

*Ann. ab Abr.* (2110)

*Olymp.* (219)

*Romanorum.* (16)

16 Domitianus eos, qui de genere David erant, interfici praecipit, ut nullus Judaeorum regni reliquus foret.

Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium, inter quos et Flaviam Domitillam Flavii Clementis consulis ex sorore neptem in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam esse testata sit.

Multa signa atque portenta Romae et toto orbi facta.

Domitianus occisus in Palatio, et per vespillones ignobiliter exportatus anno aetatis 45, *clypeique et imagines ejus passim ubique per Romam in terram sunt dejectae, et a populo per ignominiam publice conculcatae.*

## *Romanorum X, NERVA, regnavit anno uno, mensibus* 4. (1)

1 Alexandrinae ecclesiae III episcopus praefuit Cerdo annis 11.

Senatus decrevit, ut omnia quae Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaque multi, quos injuste ejecerat, de exsilio reversi: nonnulli bona propria receperunt. Aiunt et apostolum Joannem hoc tempore exsilio solutum, Ephesum secessisse, in qua urbe et hospitiolum, et amicos amantissimos sui habebat.

Justus a Tiberiade Judaeorum scriptor agnoscitur.

Nerva morbo periit in hortis Sallustianis anno aetatis 72 cum jam Trajanum adoptasset in filium.

Trajanus Agrippinae in Galliis imperator factus, natus Italicae in Hispania.

## *Romanorum XI, TRAJANUS, regnavit annis* 19, *mensibus* 6. (1 to 2)

1 Decreto senatus Nerva inter deos relatus est.

2 Joannem apostolum usque ad Trajani tempora Irenaeus episcopus permansisse scribit: post quem auditores ejus

insignes fuerunt Papias Hieropolitanus episcopus et Polycarpus Smyrnaeus, et Ignatius Antiochenus.

## *An. Dom.* (98 to 101)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (220 to 221)

## *Romanorum.* (3 to 9)

3 Romanae Ecclesiae episcopatum IV suscepit EVARISTUS an. 9.

4 Trajanus de Dacis et Scythis triumphat.

5 Trajanus, victo rege Decebalo, Daciam fecit provinciam: Iberos, Sauromatas, Orsoenos, Arabes, Bosphoranos, Colchos in fidem accepit: Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupavit, et tenuit: in mari Rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.

6 Romae aurea domus incendio conflagravit.

7 Terraemotu quatuor urbes Asiae subversae, Elaea, Myrrhina, Pytanae, Cymae: et Graeciae duae, Opuntiorum, et Oritorum.

## *An. Dom.* (102 to 108)

## *Ann. ab Abr.* (2120)

## *Olymp.* (222)

## *Romanorum.* (10 to 12)

10 Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simon filius Cleophae, qui Jerosolymis episcopatum tenebat, crucifigitur: cui succedit Justus.

11 Alexandrinae ecclesiae IV episcopus ordinatur nomine Primus, an. 12.

Ignatius quoque Antiochenae ecclesiae episcopus Romam perductus, bestiis traditur: post quem tertius episcopus constituitur Eron.

Plinius Secundus, cum quamdam provinciam regeret, et in magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, quaesivit a Trajano, quid facto opus esset, nuntians ei, Praeter obstinationem non sacrificandi, et antelucanos coetus ad canendum cuidam Christo ut Deo, nihil apud eos reperiri. Praeterea ad confoederandam disciplinam, vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, et his similia. Ad quae commotus Trajanus rescribit: Hoc genus quidem inquirendum non esse, oblatos vero puniri oportere. Tertullianus refert in Apologetico.

Romanae ecclesiae episcopatum V tenet ALEXANDER ann. 10.

12 Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii opera exstant.

Tres Galatiae civitates terraemotu erutae.

*An. Dom.* (109 to 111)

*Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (223)

## *Romanorum.* (13 to 19)

13 Pantheon Romae fulmine concrematum.

14 Post Justum Ecclesiae Jerosolymitanae episcopatum IV suscepit Zachaeus, post quem V Tobias, cui succedit VI Benjamin, ac deinde VII Joannes, et VIII Matthias, in cujus locum IX constituitur Philippus.

15 Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam fecit provincias.

16 Terraemotus Antiochiam pene totam subruit civitatem.

17 Judaei, qui in Libya erant, adversum cohabitatores suos alienigenas dimicant. Similiter in Aegypto, et in Alexandria, apud Cyrenem quoque, et Thebaidem magna seditione contendunt; verum gentilium pars superat in Alexandria.

18 Judaeis Mesopotamiae rebellantibus praecepit imperator Trajanus Lysiae Quieto, ut eos provincia exterminaret: adversus quos Quietus aciem instruens infinita millia eorum interfecit, et ob hoc procurator Judaeae ab imperatore decernitur.

19 Salaminam urbem Cypri, interfectis in ea gentilibus, subvertere Judaei.

Trajanus morbo in Selinunte perit, sive, ut alibi scriptum reperimus, apud Seleuciam Isauriae profluvio ventris exstinctus est, anno aetatis 63, mense 9, die 4. Ossa ejus in urnam auream collata, et in foro sub columna posita: solusque omnium intra Urbem sepultus est.

## *An. Dom.* (112 to 118)

## *Ann. ab Abr.* (2130)

## *Olymp.* (224)

## *Romanorum XII, HADRIANUS regnavit an.* 21. (1 to 2)

1 Hadrianus Italicae in Hispania natus, consobrinae Trajani filius fuit.

Hadrianus Alexandriam a Romanis subversam publicis instauravit expensis.

Hadrianus Trajani invidens gloriae, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, quas ille provincias fecerat, revocavit exercitus.

2 Hadrianus Judaeos capit secundo contra Romanos rebellantes.

Senatus Trajanum in deos refert.

Hadrianus eruditissimus fuit in utraque lingua, sed in puerorum amore parum continens fuit.

Hadrianus reliqua tributorum urbibus relaxavit, chartis publice incensis: plurimos etiam ipsis tributis liberos praestitit.

Romanae Ecclesiae episcopatum VI tenet SIXTUS annis 10.

*An. Dom.* (119 to 120)

*Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (225)

## *Romanorum.* (3 to 6)

3 Plutarchus Cheronaeus, et Sextus, et Agathobolus, et Oenomaus philosophi insignes habentur.

Alexandrinae Ecclesiae V constituitur episcopus Justus annis 11.

Bellum contra Sauromatas gestum.

4 Terraemotu facto Nicomedia ruit, et Nicaenae urbis plurima eversa sunt: ad quarum instaurationem Hadrianus de publico est largitus impensas.

Euphrates Stoicus philosophus moritur.

5 Hadrianus in Libyam, quae a Judaeis vastata fuerat, Colonias deducit.

6 Hadrianus Atheniensibus leges petentibus ex Draconis et Solonis, reliquorumque libris jura composuit.

## *An. Dom.* (121 to 124)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (226)

*Romanorum.* (7 to 11)

7 Cephisus fluvius Eleusinam inundavit, quem Hadrianus ponte conjungens, Athenis hiemem exegit.

8 Jerosolymis X post Philippum constituitur episcopus Seneca, post quem XI Justius, cui successit XII Levi, post quem XIII Ephres, XIV Joses, XV Judas. Hi omnes usque ad eversionem, quam ab Hadriano perpessa est Jerusalem, ex circumcisione episcopi praefuerunt.

9 Hadrianus sacris Eleusinae initiatus, multa Atheniensibus dona largitus est.

Quadratus discipulus apostolorum, et Aristides Atheniensis noster philosophus, libros pro Christiana religione Hadriano dedere compositos. Et Serenus Granius legatus, vir apprime nobilis, litteras ad imperatorem mittit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, et ullo crimine, nominis tantum et sectae reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano proconsuli Asiae scripsit, sine objectu criminum Christianos non

condemnandos. Cujus epistolae usque ad nostram memoriam durat exemplum.

10 Imperator Hadrianus Pater Patriae appellatur, et uxor ejus Augusta.

## *An. Dom.* (125 to 129)

## *Ann. ab Abr.* (2140)

## *Olymp.* (227)

## *Romanorum.* (12 to 15)

12 Romanae ecclesiae episcopatum VII suscepit TELESPHORUS annis 11.

Antiochiae constituitur IV episcopus Cornelius.

Nicopolis et Caesarea terraemotu conciderunt.

13 Antinous puer egregius eximiae pulchritudinis, in Aegypto moritur, quem Hadrianus diligenter sepeliens (nam

in deliciis habuerat) in deos refert, ex cujus nomine etiam urbs appellata est.

14 Alexandrinae ecclesiae VI episcopus praefuit Eumenes annis 13.

Templum Veneris ab Hadriano Romae factum.

15 Salvius Julianus perpetuum composuit edictum.

Hadrianus Athenis hiemem exigens, Eleusinam invisit.

Hadrianus, cum insignes et plurimas aedes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.

*An. Dom.* (130 to 133)

*Ann. ab. Abr.*

*Olymp.* (228)

*Romanorum.* (16 to 20)

16 Judaei in arma versi Palaestinam depopulati sunt, tenente provinciam Tynio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.

Phavorinus et Polemon rhetores insignes habentur.

17 Basilides haeresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici.

Barcochebas , dux factionis Judaeorum, nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.

*Quadragesimale jejunium a Telesphoro per hoc tempus institutum, ac praeceptum, quidam scribunt.*

18 Bellum Judaicum, quod in Palaestina gerebatur, finem accepit, rebus Judaeorum penitus oppressis. Ex quo tempore etiam introeundi eis Jerosolymam licentia ablata, primum Dei nutu, sicut prophetae vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus.

Jerosolymis primus ex gentibus constituitur episcopus Marcus, cessantibus his, qui fuerant ex Judaeis.

20 Aelia ab Aelio Hadriano condita, et in fronte ejus portae, qua Bethleem egredimur, Sus sculptus in marmore, significans Romanae potestati subjacere Judaeos. Nonnulli a Tito Aelio filio Vespasiani exstructam arbitrantur.

*An. Dom.* (134 to 138)

## *Ann. ab Abr.* (2150)

## *Olymp.* (229 to 230)

## *Romanorum.* (21)

21 Hadrianus morbo intercutis aquae apud Baias moritur major sexagenario.

## *Romanorum XIII, T. ANTONINUS, cognomento Pius, cum liberis suis Aurelio et Lucio regnavit an. 22, mensibus.* 3 (1 to 5)

1 Antoninus Pater Patriae appellatur.

*Galenus medicus his temporibus claruit.*

2 Romanae ecclesiae episcopatum VIII suscipit HYGINUS an. 4.

Sub Hygino Romanae urbis episcopo Valentinus haeresiarches, et Cerdo magister Marcionis, Romam venerunt.

3 Justinus philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino tradidit.

4 Heros V Antiochiae constituitur episcopus.

5 Marcus VII Alexandriae episcopatum suscipit an. 10.

Romae IX episcopus ordinatur PIUS an. 15.

## *An. Dom.* (139 to 144)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (231 to 233)

## *Romanorum.* (6 to 18)

6 Valentinus haereticus agnoscitur, et permanet usque ad Anicetum. *Sancitum est a Pio, ut Resurrectio Dominica, die*

*Dominicae celebretur, quod a pluribus postea pontificibus confirmatum est.*

7 Mesomedes Cretensis citharoedorum carminum musicus poeta agnoscitur.

8 Taurus Berytius Platonicae sectae philosophus clarus habetur.

9 Arrianus Philosophus Nicomediensis agnoscitur, et Maximus Tyrius.

10 Apollonius Stoicus natione Chalcidicus, et Basilides Scythopolitanus philosophi illustres habentur: qui Veri quoque Caesaris praeceptores fuerunt.

13 Crescens Cynicus agnoscitur, qui Justino nostri dogmatis philosopho, quia se gulosum et praevaricatorem philosophiae coarguebat, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit.

16 Celadion VIII Alexandrinae ecclesiae episcopus praefuit an. 14.

18 Cassianus XVII Jerosolymae episcopatum post Marcum suscepit, post quem XVIII Publius, cui succedit XIX Maximus, XX Julianus, XXI Gaianus, XXII Symmachus, XXIII Caius, XXIV Julianus, XXV Capito.

## *Ann. ab Abr.* (2160 to 2170)

## *Olymp.* (234 to 235)

## *Romanorum.* (19 to 23)

21 Romanae ecclesiae episcopatum X tenet ANICETUS annis 10, sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab haeretico errore correxit.

22 *Antoninus Pius suo patrimonio opulentissimus, proprias opes amicis liberalissime tribuit, aerarium vero publicum ditissimum reddidit.*

*Antoninus tantae aequitatis fuit, ut plurimae nationes depositis armis, suae solae sententiae paruerint.*

23 Antoninus Pius apud Lorium villam suam, 12 ab Urbe milliario, moritur anno vitae suae 77.

## *Romanorum XIV, MARCUS ANTONINUS, qui et VERUS, regnavit; et L. AURELIUS COMMODUS, annis 19, mense uno.* (1 to 4)

1 Hi primum aequo jure imperium administraverunt, cum usque ad hoc tempus, singuli Augusti fuerint.

2 Lucio Caesari Athenis sacrificanti ignis in coelo ab oriente in occidentem referri visus.

3 Vologesus rex Parthorum, vicinas sibi Romanas provincias depopulatus est.

Fronto orator insignis habetur, qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudivit.

4 Seleucia Syriae urbs cum 300 millibus hominum a Romanis capta.

*An. Dom.* (158 to 166)

*Ann. ab Abr.* (2180)

*Olymp.* (236)

5 Apud Pisas Peregrinus philosophus rogo, quem ex lignis composuerat, incenso, semet superjecit.

6 L. Caesar de Parthis cum fratre triumphavit.

Agrippinus IX Alexandrinae ecclesiae episcopus praefuit annis 12.

7 Persecutione orta in Asia, Polycarpus et Pionius fecere martyrium, quorum scriptae quoque passiones feruntur.

Plurimi in Gallia gloriose ob Christi nomen interfecti, quorum usque in praesentem diem condita libris certamina perseverant.

8 Lues multas provincias occupavit, Roma ex parte vexata.

Romani contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, et Dacos dimicant.

Romanae ecclesiae episcopatum XI suscepit SOTER an. 8.

Theophilus Antiochiae VI episcopus ordinatur, cujus plurima ingenii opera exstant.

*Ann. ab Abr.*

*Olymp*. (237 to 238)

*Romanorum*. (9 to 14)

9 Lucius imperator anno regni sui nono, sive, ut quidam putant, undecimo inter Concordiam et Altinum apoplexi exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.

10 Antonino imperatori Melito Asianus Sardensis episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit.

11 Apollinaris Asianus Hierapolitanus episcopus insignis habetur.

Dionysius episcopus Corinthiorum clarus habetur, et Pinytus Cretensis vir eloquentissimus.

Pseudoprophetia, quae Cataphrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, Priscilla, Maximillaque insanis vatibus.

12 Tatianus haereticus agnoscitur, a quo Encratitae.

Bardesanes alterius haereseos princeps notus efficitur.

Oppianus Cilix poeta cognoscitur, qui Halieutica miro splendore conscribit.

Tanta per totum orbem pestilentia fuit, ut pene usque ad internecionem Romanus exercitus deletus fuerit.

13 Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis saepe ipse intererat, saepe duces nobilissimos destinabat, in quibus semel Pertinaci et exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluvia divinitus missa est; cum econtrario Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur, et plurimos eorum interficerent.

*An. Dom.* (171 to 176)

*Ann. ab Abr.* (2190)

*Olymp.* (239 to 240)

*Romanorum.* (15 to 19)

15 Exstant litterae Marci Aurelii gravissimi imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus, impetrato imbre, discussam contestatur.

16 Atticus Platonicae sectae philosophus agnoscitur.

Romanae Ecclesiae XII episcopatum suscipit ELEUTHERIUS V annis 15.

Antiochiae VII episcopus constituitur Maximinus.

17 Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit.

18 Antoninus cum filio de hostibus triumphavit, quos, per triennium apud Carnuntum habens stativa castra, vastaverat.

19 Imperatores multis multa largiti sunt, et pecuniam, quae fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanae urbis foro incendi praeceperunt, ac ne quid bonitati deesset, severiores quasque leges novis Constitutionibus temperaverunt. Antoninus post victoriam, adeo in editione munerum magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuerit.

Commodus a senatu Augustus appellatur.

Smyrna urbs Asiae terraemotu ruit, ad cujus instaurationem decennalis tributorum immunitas data est.

Antoninus in Pannonia morbo periit.

Julianus X Alexandrinae ecclesiae episcopatum sortitur annis 10.

## *Romanorum XV, COMMODUS, regnavit annis* 13. (1 to 3)

1 Commodus de Germanis triumphavit.

2 Templum Serapidis Alexandriae incensum.

3 Irenaeus episcopus Lugdunensis insignis habetur.

## *An. Dom.* (177 to 184)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (241 to 242)

## *Romanorum.* (4 to 13)

4 Thermae Commodianae Romae factae.

Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.

5 Jerosolymis XXVI ordinatur episcopus Maximus. Post quem XXVII Antoninus, XXVIII Valens, XXIX Dulichianus, XXX Narcissus, XXXI Dius, XXXII Germanio, XXXIII Gordius, XXXIV rursum Narcissus.

7 Tantis apud Jerosolymam episcopis constitutis, non potuimus discernere tempora singulorum, eo quod usque in praesentem diem eorum episcopatuum anni minime inveniantur.

8 *Apollonius Urbis senator, lecto senatui insigni volumine, quod de Christi fide composuerat, capite ob Christi fidem truncatus est.*

In Capitolium fulmen ruit, et magna inflammatione facta, bibliotheca, et vicinae quoque aedes concrematae.

9 Alexandriae XI constituitur episcopus Demetrius annis 43.

Commodus imperator colossi capite sublato, suae imagini caput imposuit.

10 Serapion VIII Antiochiae episcopus ordinatur.

11 Commodus multos nobilium interficit, et spectacula populo Romano praebet insignia.

12 Incendio Romae facto palatium et aedes Vestae, plurimaque urbis pars solo coaequatur.

13 Commodus strangulatur in domo Vestiliani.

## *Romanorum XVI, AELIUS PERTINAX, regnavit mensibus* 6.

Pertinax septuagenario major, cum praefecturam Urbis ageret, ex senatusconsulto imperare jussus est.

Romae episcopatum suscipit XIII VICTOR annis, 10, cujus mediocria de religione exstant volumina.

Pertinax, obsecrante senatu, ut uxorem suam Augustam, et filium suum Caesarem appellaret, contradixit: sufficere testatus, quod ipse regnaret invitus.

Pertinax occiditur in palatio, Juliani jurisperiti scelere: quem postea Severus apud Milvium [*Sc.* Mulvium] pontem interfecit.

*An. Dom.* (185 to 194)

*Ann. ab Abr.* (2200)

*Olymp.* (243 to 244)

# *Romanorum XVII, SEVERUS, regnavit annis* 18. (1 to 7)

1 Severus provincia Tripolitana oppido Lepti, solus ex Africa usque in praesentem diem, Romanis imperator fuit, et in honorem Pertinacis, quem Julianus occiderat, Pertinacem se cognominari jussit.

2 Clemens Alexandrinae ecclesiae presbyter, et Pantaenus Stoicus philosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.

3 Narcissus Jerosolymitarum episcopus, et Theophilus Caesariensis, Polycrates quoque, et Bacchylus Asianae provinciae episcopi insignes habentur.

*Candidus Christianorum disputator cautissimus notus efficitur.*

4 Quaestione orta in Asia inter episcopos, an secundum legem Mosi, 14 mensis Pascha observandum esset, Victor Romanae urbis episcopus, et Narcissus Jerosolymarum, Polycrates quoque, et Irenaeus, et Bacchylus, plurimique ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerat, litteris ediderunt, quarum memoria ad nos usque perdurat.

5 Judaicum et Samariticum bellum ortum, vel resumptum.

6 Severus Parthos, et Adiabenos superavit, Arabesque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam faceret, ob quae Parthicus, Arabicus, et Adiabenicus cognominatus est.

7 Severo imperante, thermae Severianae apud Antiochiam, et Romae factae, et Septizonium exstructum.

## *An. Dom.* (195 to 201)

## *Ann. ab. Abr.* (2210)

## *Olymp.* (245 to 247)

## *Romanorum.* (8 to 18)

9 ZEPHYRINUS, XIV, Romanae ecclesiae episcopatum suscepit annis 17.

Persecutione in Christianos facta, Leonides Origenis pater gloriosa martyrii morte transfertur.

10 Alexander ob confessionem Dominici nominis insignis habetur.

11 Clemens multa et varia conscribit.

12 Musanus nostrae philosophiae scriptor agnoscitur .

13 Clodio Albino, qui se in Gallia Caesarem fecerat, apud Lugdunum interfecto, Severus in Britannos bellum transfert: ubi ut receptas provincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per 132 millia passuum a mari ad mare duxit.

Tertullianus Afer Centurionis proconsularis filius omnium Ecclesiarum sermone celebratur.

17 Origenes Alexandriae studiis eruditur.

18 Severus moritur Eboraci in Britannia.

## *Romanorum XVIII, ANTONINUS cognomento CARACALLA, Severi filius , regnavit annis* 7. (1)

1 Antiochiae IX episcopus constituitur Asclepiades.

Alexander XXXV Jerosolymorum episcopus ordinatur, adhuc vivente Narcisso, et cum eo pariter Ecclesiam regit.

*An. Dom.* (202 to 213)

*Ann. ab. Abr.* (2220)

## *Olymp.* (248 to 249)

## *Romanorum.* (2 to 7)

2 Antoninus Caracalla cognominatus propter genus vestis, quod Romae erogaverat, et econtrario Caracallae ex ejus nomine Antoninianae dictae.

4 Antoninus Romae thermas sui nominis aedificavit.

5 Antoninus tam impatiens libidinis fuit, ut novercam suam Juliam uxorem duxerit.

6 Antoninus interficitur inter Edessam et Carras anno aetatis 43.

## *Romanorum XIX, MACRINUS, regnavit anno uno.* (1)

1 Macrinus praefecturam praetorii gerens, imperator factus.

Antiochiae X episcopus constituitur Philetus.

Circensibus Vulcanaliorum Romae amphitheatrum incensum.

Aggarus vir sanctus regnavit Edessae, ut vult Africanus.

Macrinus occiditur in Archelaide.

## *Romanorum XX, MARCUS AURELIUS ANTONINUS, regnavit an.* 4. (1 to 2)

1 Marcus Aurelius Antonini Caracallae, ut putabatur, filius, et sacerdos Eliogabali templi, adeo impudice in imperio suo vixit, ut nullum genus obscoenitatis omiserit.

2 CALLISTUS XV Romanae Ecclesiae episcopatum suscepit an. 5.

## *An. Dom.* (214 to 222)

## *Ann. ab. Abr.* (2230)

## *Olymp.* (250 to 252)

## *Romanorum.* (3 to 4)

3 Eliogabalum templum Romae aedificatum.

4 In Palaestina Nicopolis, quae prius Emmaus vocabatur, urbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Julio Africano scriptore Temporum.

Antoninus Romae occiditur tumultu militari, cum matre Semia Syra.

## *Romanorum XXI, ALEXANDER, Mammaeae filius, regnavit an.* 13. (1 to 7)

1 Alexander Xerxem regem Persarum gloriosissime vicit, et disciplinae militaris tam severus corrector fuit, ut quasdam tumultuantes legiones integras exauctoraverit.

3 URBANUS XVI Romanae ecclesiae ordinatur episcopus annis 9.

4 Ulpianus jurisconsultus, assessor Alexandri insignis habetur.

5 Thermae Alexandrinae Romae aedificatae.

6 Geminus presbyter Antiochenus, et Hippolytus, et Beryllus episcopus Arabiae Bostrenus, clari scriptores habentur.

7 Antiochiae XI constituitur episcopus Zebennus.

*An. Dom.* (223 to 231)

*Ann. ab Abr.* (2240)

*Olymp.* (253 to 254)

*Romanorum.* (8 to 13)

8 Origenes Alexandriae clarus habetur.

9 Alexandrinae ecclesiae XII ordinatur episcopus Heraclas an. 16.

10 Alexander in matrem Mammaeam unice pius fuit, et ob id omnibus amabilis.

11 Origenes de Alexandria ad Caesaream Palaestinae transit.

12 PONTIANUS XVII Romanae ecclesiae episcopatum suscepit annis 5.

13 Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari.

## *Romanorum XXII, MAXIMINUS, regnavit annis* 3. (1 to 3)

1 Maximinus primus ex corpore militari, sine senatus auctoritate, ab exercitu imperator electus est.

2 Maximinus adversum Ecclesiarum sacerdotes persecutionem facit.

3 Maximinus Aquileiae a Pupieno occiditur.

## *An. Dom.* (232 to 240)

## *Ann. ab Abr.* (2250)

## *Olymp.* (255 to 257)

## *Romanorum XXIII, GORDIANUS, regnavit annis* 6. (1 to 6)

1 ANTEROS XVIII Romae episcopus ordinatur mense uno, post quem XIX FABIANUS annis 13.

2 Gordiano Romam ingresso, Pupienus et Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio occisi.

6 Gordianus admodum adolescens, Parthorum natione superata, cum victor reverteretur ad patriam, fraude Philippi praefecti praetorio haud longe a Romano solo interfectus est.

Gordiano milites tumulum aedificant, qui Euphrati imminet, ossibus ejus Romam revectis.

## *Romanorum XXIV, PHILIPPUS, regnavit annis* 7. (1 to 5)

1 Philippus Philippum filium consortem regni facit, primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

2 Regnantibus Philippis millesimus annus Romanae urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiae in circo magno interfectae ludique in campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, celebrati.

3 Theatrum Pompeii incensum, et Hecatonstylon.

4 Quadragesimus missus natali Romanae urbis cucurrit, et agon mille annorum actus.

5 Philippus urbem nominis sui in Thracia construit.

## *An. Dom.* (241 to 251)

## *Ann. ab Abr.* (2260)

## *Olymp.* (258)

## *Romanorum.* (6 to 7)

6 Alexandrinam Ecclesiam XXIII episcopus tenuit Dionysius an. 17.

7 Philippus senior Veronae, Romae junior occiditur.

## *Romanorum XXV, DECIUS, regnavit anno uno, mens.* 3. (1)

1 Decius e Pannonia inferiore Budaliae natus fuit.

Decius cum Philippos, patrem et filium, interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet: qua diaconus Laurentius Romae martyrium duxit.

Antonius monachus in Aegypto nascitur.

Romae amphitheatrum incensum.

Alexandro Jerosolymorum episcopo apud Caesaream Palaestinae ob martyrium interfecto, et Antiochiae Babyla, Mazabbanes, et Fabius episcopi constituuntur.

Decius cum filio in Abritto occiditur.

## *Romanorum XXVI, GALLUS et VOLUSIANUS Galli filius regnaverunt annis* 2, *mensibus* 4. (1)

1 Romanae ecclesiae episcopatum, post Fabiani gloriosam mortem, XX suscepit CORNELIUS annis 2, qui et ipse martyrio coronatus est. Exstant ad eum Cypriani octo epistolae.

Pestilens morbus multas totius orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam et Aegyptum, ut scribit Dionysius, et Cypriani *de Mortalitate* testis est liber.

Novatus presbyter Cypriani, Romam veniens, Novatianum, et caeteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius poenitentes apostatas recepisset.

Antiochiae XIII constituitur episcopus Demetrianus .

*An. Dom.* (252 to 255)

*Ann. ab. Abr.*

*Olymp.* (259 to 260)

*Romanorum.* (2)

2 LUCIUS XXI Romanae Ecclesiae episcopatum tenet menses 8 . Post quem XXII Stephanus annis 3. Exstant ad utrumque Cypriani epistolae.

Gallus et Volusianus, cum adversum Aemilianum, qui in Moesia res novas moliebatur, ex Urbe profecti essent, in foro Flaminii, sive, ut alii putant, Interamnae interfecti sunt.

Aemilianus tertio mense invasae tyrannidis exstinctus est.

*Romanorum XXVII, VALERIANUS et GALLIENUS regnaverunt annis* 15. (1 to 9)

1 Valerianus in Rhetia ab exercitu Augustus: Gallienus Romae a senatu Caesar appellatus est.

2 XYSTUS XXIII Romanae Ecclesiae episcopatum tenet annis 8.

3 Cyprianus primum Rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus martyrio coronatur.

4 Valerianus, in Christianos persecutione commota, statim a Sapore Persarum rege capitur, ibique servitute miserabili consenescit.

5 Sapor, rex Persarum, Syriam, Ciliciam et Cappadociam depopulatur.

6 Valeriano in Persas ducto, Gallienus pacem nostris reddidit.

Antiochiae XV constituitur episcopus Paulus Samosatenus.

7 Gallieno in omnem lasciviam dissoluto, Germani Ravennam usque venerunt.

8 Alamanni vastatis Galliis, in Italiam transiere.

9 Graecia, Macedonia, Pontus, Asia, depopulata per Gothos.

*An. Dom.* (256 to 265)

*Ann. ab. Abr.* (2270)

## *Olymp.* (261 to 262)

## *Romanorum.* (10 to 15)

10 Quadi et Sarmatae Pannonias occupaverunt.

Germanis Hispanias obtinentibus, Tarracon expugnata est.

Parthi Mesopotamiam tenentes, Syriam incursaverunt.

11 Alexandrinae ecclesiae XIV ordinatur episcopus Maximus an. 18.

DIONYSIUS XXIV Romanae Ecclesiae episcopus constituitur annis 12.

Odenatus decurio Palmyrenus collecta agrestium manu ita Persas cecidit, ut ad Ctesiphontem castra poneret.

12 Hierosolymarum episcopatum tenet Hymenaeus.

13 Paulus Samosatenus a cunctorum praedicatione desciscens, Artemonis haeresim suscitavit: in cujus locum Antiochenae Ecclesiae XVI ordinatur episcopus Domnus.

14 Galliae per Posthumum, et Victorinum, et Tetricum receptae.

Gallienus Mediolani occiditur.

## *Romanorum XXVIII, CLAUDIUS regnavit anno uno, mensib.* 9. (1)

1 In Alexandria Bruchium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem capitur.

Claudius Gothos, Illyricum et Macedoniam vastantes, superat, ob quae in curia clypeus ei aureus, et in Capitolio statua aurea collocata est.

Claudius Sirmii moritur.

*An. Dom.* (266 to 272)

*Ann. ab Abr.* (2280)

*Olymp.* (263 to 264)

*Romanorum.* (2)

2 Quintilius Claudii frater a senatu Augustus appellatus, decimo septimo imperii sui die Aquileiae occiditur.

## *Romanorum XXIX, AURELIANUS regnavit annis 5, mensib.* 6. (1 to 5)

1 Antiochenae ecclesiae XVII ordinatur episcopus Tymaeus

Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recepit.

2 Zenobia apud Immas, haud longe ab Antiochia vincitur; quae, occiso Odenato marito, Orientis tenebat imperium. In qua pugna strenuissime adversum eam dimicavit Pompeianus dux cognomento Francus, cujus familia hodieque apud Antiochiam perseverat, et ex cujus Evagrius charissimus nobis stirpe descendit.

3 Eusebius Laodicenus episcopus insignis habetur.

Aurelianum Romae triumphantem Tetricus et Zenobia currum praecesserunt; e quibus Tetricus Corrector postea Lucaniae fuit, et Zenobia in Urbe summo honore consenuit, a qua hodieque Romae Zenobia familia nuncupatur.

4 Aurelianus templum Soli aedificat, et Romam firmioribus muris vallat.

Primus agon Solis ab Aureliano constitutus.

5 Aurelianus cum adversum nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum comitesque ejus ruit, ac non multo post, inter Constantinopolim et Heracleam, in cenophrurio viae veteris occiditur.

## *Romanorum XXX, TACITUS regnavit menses* 6 . (1)

1 Quo apud Pontum occiso, obtinuit FLORIANUS imperium diebus 80.

Hoc quoque apud Tarsum interfecto:

## *Romanorum XXXI, PROBUS regnavit annis 6, menses* 4. (1)

1 FELIX XXV Romanae Ecclesiae episcopatum suscepit annis 5.

Probus Gallias a Barbaris iterum occupatas, ingenti virtute restituit.

Anatolius Laodicenus episcopus, philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur.

*An. Dom.* (273 to 280)

*Ann. ab Abr.* (2290)

*Olymp.* (265)

*Romanorum.* (2 to 6)

2 Secundo anno Probi juxta Antiochenos 325 annus fuit, justa Tyrios 402, vel 403 secundum quosdam, juxta Laodicenos 324, juxta Edessenos 589, juxta Ascalonitas 380.

Initium jubilaei 86.

Insana Manichaeorum haeresis in commune humani generis malum exorta.

3 Probus Gallos et Pannonios vineas habere permisit, Almumque et Aureum montem militari manu consitos provincialibus colendos dedit.

4 Antiochiae XVIII constituitur episcopus Cyrillus.

Saturninus Magister exercitus novam civitatem Antiochiae orsus est condere: qui postea imperium molitus invadere Apamiae, occiditur.

5 EUTYCHIANUS XXVI Romanae Ecclesiae episcopatum suscepit mensibus 8 post quem XXVII GAIUS annis 15.

6 Probus tumultu militari apud Sirmium in turri, quae vocatur Ferrata, occiditur.

Alexandrinae Ecclesiae XV episcopus praefuit Theonas annis 19.

## *An. Dom.* (281 to 285)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (266 to 267)

## *Romanorum XXXII, CARUS cum aliis CARINO et NUMERIANO, an.* 2. (1 to 2)

1 Carus Narbonensis, cum omni Parthorum regione vastata Chochem et Ctesiphontem nobilissimas hostium urbes cepisset, super Tigrim castra ponens, fulmine ictus interiit.

2 Numerianus cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est, vix fetore cadaveris, post aliquot dies scelere comperto.

Carinus praelio victus apud Margum occiditur.

## *Romanorum XXXIII, DIOCLETIANUS regnavit annis* 20. (1 to 4)

1 Diocletianus Dalmata, scribae filius, imperator electus statim Aprum in militum concione percussit, jurans sine suo scelere Numerianum interfectum.

2 Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum assumpsit, qui rusticorum multitudine oppressa, quae factioni suae Baccaudarum nomen indiderat, pacem Galliis reddit.

4 Carausius, sumpta purpura, Britannias occupavit.

Narsaeus Orienti bellum intulit.

Quinquegentiani Africam infestaverunt.

Aegyptum Achilleus obtinuit, ob quae Constantius et Galerius Maximianus Caesares assumuntur in regnum: quorum Constantius Claudii ex filia nepos fuit, Galerius in Dacia haud longe a Serdica natus. Atque ut eos Diocletianus etiam affinitate conjungeret, Constantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit; Galerius filiam Diocletiani Valeriam duxit, ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulsi.

*An. Dom.* (286 to 291)

*Ann. ab Abr.* (2300)

*Olymp.* (268 to 269)

*Romanorum.* (5 to 12)

7 Busiris et Coptus contra Romanos rebellantes, ad solum usque subversae sunt.

8 Carporum et Basternarum gentes in Romanum solum translatae sunt.

9 Primus Diocletianus adorari se ut Deum jussit, et gemmas vestibus calceamentisque inseri, cum ante eum omnes imperatores in modum judicum salutarentur, et chlamydem tantum purpuream a privato habitu plus haberent.

10 Alexandria cum omni Aegypto per Achilleum ducem a Romana potestate desciscens, octavo obsidionis mense a Diocletiano capta est. Itaque plurimi per totam Aegyptum

gravibus proscriptionibus exsiliisque vexati, interfectis his qui perduellionis causa exstiterant.

12 MARCELLINUS XXVIII Romanae Ecclesiae episcopatum suscepit annis 6.

Ecclesiae Jerosolymorum XXVII ordinatur episcopus Zabdas.

## *An. Dom.* (292 to 299)

## *Ann. ab Abr.* (2310)

## *Olymp.* (270)

## *Romanorum.* (13 to 17)

13 Post decem annos per Asclepiodotum praefectum praetorii Britanniae receptae.

Juxta Lingonas a Constantio Caesare sexaginta millia Alemannorum caesa.

Galerius Maximianus victus a Narseo ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit.

14 Veturius magister militiae Christianos milites persequitur, paulatim ex illo jam tempore persecutione adversus nos incipiente.

Galerius Maximianus, superato Narseo, et uxoribus, ac liberis, sororibusque ejus captis, a Diocletiano ingenti honore suscipitur.

15 Thermae Diocletianae Romae factae, et Maximianae Carthagini.

Ecclesiae Jerosolymorum XXXVIII praefuit Hermon .

16 Antiochiae XIX constituitur episcopus Tyrannus.

17 Alexandrinae Ecclesiae XXI post Theonam, ordinatur episcopus Petrus, qui postea IX persecutionis anno gloriose martyrium perpetravit. Diocletianus et Maximianus Augusti, insigni pompa Romae triumpharunt , antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis, et omni praeda, qua Parthos spoliaverant.

## *An. Dom.* (300 to 304)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (271)

## *Romanorum.* (18 to 20)

19 Terraemotu horribili apud Tyrum et Sidonem multa opera conciderunt, et populus innumerabilis oppressus est.

Decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschae, ecclesiae subversae sunt.

Persecutio Christiana. Secundum Antiochenos an. 351.

20 Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomediae, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt

## *GALERIUS solus biennio Augustus imperium tenuit.* (1)

1 Romae XXIX episcopus EUSEBIUS constituitur mensibus 7, post quem XXX Ecclesiam tenet MILTIADES annis 6.

## *An Dom.* (305 to 308)

*Ann. ab Abr.* (2320)

*Olymp.*

*Romanorum.* (2)

2 Maximinus et Severus a Galerio Maximiano Caesares facti.

Constantius decimo sexto imperii anno diem obiit in Britannia Eboraci, post quem filius ejus Constantinus ex concubina Helena procreatus, regnum invadit: quarto autem persecutionis anno, Constantinus regnare orsus.

*Romanorum XXXIV, CONSTANTINUS regnavit annis* 50, *mensibus* 10. (1)

1 Maxentius Herculii Maximiani filius a praetorianis militibus Romae Augustus appellatur.

*An. Dom.* (309 to 310)

*Ann. ab Abr.*

*Olymp.* (272 to 273)

*Romanorum.* (2 to 6)

2 Severus Caesar a Galerio Maximiano contra Maxentium missus, Ravennae secundo imperii sui anno interficitur.

Licinius a Galerio Carnuti imperator factus.

Herculius Maximianus a filia Fausta detectus, quod dolum Constantino viro suo pararet, Massiliae fugiens occiditur.

3 Quirinus episcopus Siscianus gloriose pro Christo interficitur: nam, manuali mola ad collum ligata, e ponte praecipitatus in flumen, diutissime supernatavit et cum spectantibus collocutus, ne sui terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur, obtinuit.

4 Galerius Maximianus moritur vicesimo imperii sui anno, quod partim Caesar, partim Augustus exercuit.

5 SILVESTER XXXI Romanorum Ecclesiae ordinatur episcopus annis 22.

6 Maximinus, persecutione in Christianos facta, cum jam a Licinio puniendus esset, apud Tarsum moritur, anno imperii sui sexto.

## *An. Dom.* (311 to 315)

## *Ann. ab Abr.*

## *Olymp.* (274)

## *Romanorum.* (7 to 11)

7 Alexandrinae ecclesiae XVIII ordinatur episcopus Achillas.

Maxentius juxta pontem Milvium a Constantino superatus occiditur anno imperii sui sexto.

Pax nostris a Constantino redditur.

Bellum Cibalense adversum Licinium.

Jerosolymarum XXXIX episcopus constituitur Macarius.

Diocletianus haud procul a Salonis in villa sua Spalato moritur, et solus omnium inter deos privatus refertur.

10 Crispus et Constantinus, filii Constantini, et Licinius adolescens Licinii Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Caesares appellantur: quorum Crispum Lactantius Latinis litteris erudivit, vir omnium suo tempore eloquentissimus; sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit, nedum deliciis.

11 Licinius Christianos de palatio suo pellit.

## *An. Dom.* (316 to 320)

## *Ann. ab Abr.* (2330)

## *Olymp.* (275 to 276)

## *Romanorum.* (12 to 19)

12 Basileus Amasiae Ponti episcopus sub Licinio martyrio coronatur. Alexandrinae ecclesiae XVIII ordinatur episcopus Alexander: a quo Arius presbyter de Ecclesia ejectus, multos

suae impietati sociat; ad quorum perfidiam coarguendam synodus 318 episcoporum, in Nicaea urbe Bithyniae congregata, omnes haereticorum machinas HOMOUSII oppositione dejecit. *Et fuit synodus prima. Helena Constantini mater, divinis monita visionibus, beatissimum Crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Jerosolymam reperit.*

19 Constantius filius Constantini Caesar factus.

Licinius Thessalonicae contra jus sacramenti, privatus occiditur.

Nazarius rhetor insignis habetur.

*An. Dom.* (321 to 328)

*Ann. ab Abr.* (2340)

*Olymp.*

*Romanorum.* (20)

20 Crispus filius Constantini, et Licinius junior Constantiae Constantini sororis et Licinii superioris filius, crudelissime interficiuntur, anno imperii sui nono.

Vicennalia Constantini Nicomediae acta, et sequenti anno Romae edita.

*An. Dom.* (329)

*Ann. ab Abr.* (2343)

*Olymp.*

*Romanorum.*

*An. Dom.*

# EUSEBII CAESARIENSIS CHRONICON FINIT.